

C

Ff. 19.

C. A. Schmid  
Kunst. 1757.







Tota licet veteres exornent undique cera  
Atria, Nobilitas sola est atque unica Virtus.  
Juven: Satyr. VIII. v. 19.

R. P. CAROLI PVRCKHARDI S. J.  
**ARSSCVTARIA**  
vulgo  
**HERALDICA.**  
prius quidem  
**ALIUM IN FINEM**  
typis expressa,  
nunc vero  
**IN VSVS JVVENTVTIS**  
melioribus doctrinarum studiis  
imbuendae  
recusa.



*Cum Permissu Superiorum.*

---

NORIMBERGAE  
*Sumptibus suis imprimi curavit*  
**JOHANNES ADAMVS SCHMIDIUS**  
**M DCC XXXIII.**

Bischöflich.  
Breslau 1790. — o —

KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE



L. B. S. P. D.

**A**rtium, quam dicunt, Scutariam aut communi potius nomine Heraldicam vocant, tuis oculis subjectam vides; at novo habitu novoque dicendi genere indutam exornatamque. *Est enim ornatisimis*

XII. com-

conscripta versibus atque ipsa, prater  
rerum ibi contentarum utilitatem, ser-  
monis elegantia singulare decus &  
honorem sibi conciliavit. Unde se-  
cundum illud vatis optimi dictum  
omne feret punctum, quod utile dul-  
ci miscuit scriptamque poetarum le-  
gem explevit, qui prodeesse simul ac  
delectare volunt. Nostrum non est  
hujus instituti laudes multis verbo-  
rum encomiis prosequi; quum te sa-  
tis attenta discendique cupida mente  
libelli praesentis rationes perlustratu-  
rum ad sui benevolentiam ac favo-  
rem trahet. Ut tamen brevem quan-  
dam hujus laboris notionem atque  
ideam praebeamus, scias velim artem  
hanc

hanc scutariam honoribus pro cuius-  
que dignitate, ortu, virtutumque  
ac doctrinæ gloria compellandorum  
dominorum, qui prima liberalium  
artium & philosophia laurea in uni-  
versitate Viennensi A. 1733. more  
majorum insignebantur, ab illustris-  
sima poesi Viennensium dedicatam fu-  
isse. Tota hujus tractationis res tri-  
bus absoluta est partibus; ubi post ex-  
positam institutionem factasque ad  
Deum preces Cesarisque imploratam  
gratiam, prima pars scutorum genti-  
litorum originem tradit eandemq; ex  
ancilibus Romanorum calo, ut cre-  
ditum erat, lapsis derivat atque in-  
ter Germanos tandem sub auspicii

X 3

Hen.

Henrici Aucupis ludos Equestres in-  
stitutos fuisse, refert. Secunda par-  
tis caput primum de figura, situ,  
divisione & conjunctione Scutorum  
agit; figuramque fere quadratam aut  
ovalem ac situm plerumque rectum  
neque minus divisionem vel simplicem  
vel compositam variamque illorum  
conjunctionem affert. Alterum ejus-  
dem partis caput scutorum colores ac  
tincturas exhibet, quorum primarios  
rubeum & caruleum viridemque ac  
nigrum neque raro purpureum dicit,  
eorundemque hodiernum exprimendi  
modum tinturarumque leges docet.  
Figuras scutorum sistit caput tertium  
simulque quis figurarum numerus, quis

or-

ordo ac situs, qua sectio quaque de-  
mum earundem significatio & parti-  
tio sit, explicat. Scutorum galeam  
coronasque & apicem profert caput  
quartum & galeam quidem hodier-  
no usu triplicem patulam nimirum,  
clathratam & clausam ejusdemque  
situm vel rectum vel obliquum osten-  
dit coronasque varii generis varii-  
que nominis apicem exponit. Capite  
quinto de scutorum discerniculis & fi-  
guris loquentibus sermo est; ubi qua-  
tuor modi scutorum inter se discernen-  
dorum afferuntur vel additione vel  
omissione aut figurarum alternatione  
aut variatione colorum: scuta vero  
loquentia compellantur, qua cum no-

mine familie interdum manifestius  
quandoque obscurius conveniunt Ga-  
learum tegumenta & ea, qua scuto  
adjacent, sexti capitinis argumentum  
est, quo praeter tegumentorum expli-  
cationem, telamones, dignitatum &  
ordinum nota, lemmata & tesseræ mi-  
litares dicuntur ea, qua extra scutum  
& galeam posita sunt. Nunc tertia  
fæse pars offert atque anatomiam sive  
resolutionem quorundam scutorum  
gentiliorum ac primo quidem capite  
resolutionem scuti domus Habsburgi-  
ca: capite secundo scuti Austriaci vete-  
ris & novi: capite tertio scuti Caſa-  
ris Augustissimi Caroli VI. Roma-  
norum Imperatoris ostendit: modum

vero

vero scutorum resolvendorum ex illa  
jam prius dicta methodo desumit. Ha-  
bes igitur, B. L. totius opera succin-  
ctam descriptionem, ubi tamen qua-  
dam adhuc monenda sunt, nimirum  
subinde per totum librum adjectas  
conspici notas, quae, ut fatetur au-  
ctor, planæ omnino ac forsitan pene ob-  
via videri possunt: at nostro juven-  
itatis erudiendi instituto tanto fructuo-  
siores habendæ, quanto planiores di-  
cuntur. Dein etiam caterarum præ-  
ter primam partium singulis capitibus  
præmissa est rerum contentarum expli-  
catio legesque soluto sermone scriptæ,  
ne verbis peregrinis, rei tamen scu-  
tariae familiaribus & quotidianis,  
quibus

quibus alia vix substituuntur ; nec  
possunt , mens etiamnum in arte ho-  
spes aut obruatur aut penitus deter-  
reatur . Ceterum eorum nihil , quæ  
ad artis notitiam pertinere videntur ,  
passus est auctor desiderari ; dum op-  
timos quoisque , ne quid temere scri-  
beret , Spenerum in primis Rudol-  
phium , Menestrium , Vallemonii-  
tium , Ciacconium , Fuggerum , La-  
zium , Cuspinianum , quibus artis  
periti deferunt plurimum , frequen-  
tissime consultos voluit . Postremum  
est ut de ipso dicendi genere pauca  
quedam in medium proferam . Si  
quis diu satis rem totam expenderit ,  
veterum poetarum exemplar vivide  
gnavi -

gnaviterque expressum videbit. Non  
enim toti labori sua deest fictionis in-  
doles neque verbis nitor atque venu-  
stas. Ut plura taceam, quæ satis ex  
ipsius opusculi lectione cognoscentur.  
Quibus de causis, quum liber iste a-  
deo comparatus est, ut cateris Au-  
torum classicorum Lectionibus non  
citra magnam utilitatem adjungi pos-  
sit, animum induxi meum, artem  
illam scutariam typis iterum subjice-  
re eandemque juvenum latinitati si-  
mul ac elegantioribus studiorum generi-  
bus operam navantium commodis ex-  
hibere. Prudens doctrinarum magi-  
ster, cui forsan hic iste liber placeat,  
sine ulteriori monito, facile explica-

ta

ta reddet, quæ captus difficiliora vi-  
dentur. Reliquum est, quod rogo,  
ut hoc juventutis provehenda, quale-  
cunque sit, studium æqui bonique con-  
sulas nostrumque laborem nisi maxi-  
me fructuosum; saltim tamen non  
sua prolixæ voluntatis laude defrau-  
dandum habeas. Vale. Scrib. Kal.  
Sept. A. O. R. cl 10 cc xxxiii.

## AD BIBLIOPEGUM.

SI forsan possessori hujus libri placuerit,  
ad finem septem folia candidæ chartæ  
adjungi iisdemque tabularum ænearum fi-  
guræ adglutinari poterunt ita, ut inter le-  
ctionem ipsam commodius adhibendi cau-  
sa, exerantur.

---

## Un den Buchbinder.


D Erselbe kan, wo es dem Besitzer des Ex-  
emplars auch so anständig ist, an dem  
Ende 7. Blätter weis Papier anhefsten, und  
die 7. Rupffer-Tabellen so daran leimen, daß  
man sie ausschlagen, und bey Lesung des Tex-  
tes bequemer ansehen kan.



ADMONITIO  
AD  
LECTOREM.

**S**temmata quid faciunt? quid prodest, Pon-  
tice, longo  
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus  
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos,  
Et Curios jam dimidios, humerosque minorem  
Corvinum, & Galbam auriculis nasoque carentem?  
Quis fructus generis tabula jactare capaci  
Corvinum, posthac multa contingere virga  
Fumosos equitum cum Dictatore Magistros,  
Si coram Lepidis male vivitur? effigies quo  
Tot bellatorum, si luditur area pernox  
Ante Numantinos? si dormire incipis ortu  
Luciferi, quo signa Duces, & castra movebant?  
Si, &c. Juvenalis Sat, VIII, Lib, III.

AD



D E  
**SCUTIS GENTILITIIS  
 P A R S P R I M A.  
 PROE M I U M.**



Stra, Deosque canant, cognataque numina  
 cælo,

Fulmineumque Jovem, aut subter mole su-  
 perbae

Mempheos, & Regum cineres, & nomina grandi  
 Solicent cytharâ; mutent hi corpora rebus;  
 Aut celebrent stantes jam Cæsaris ære colosso:      5  
 Siccius est mea vena; Jovis quoque fulmina metris  
 Non sunt apta meis: humilis mea musa tot inter  
 Ignotos vix ausa suos attollere vultus

Serpit humili; de quo, quid, & an sibi dicere fas sit,  
 Quærit inops, duce quo tritas vix haec tenus ulli      10  
 Tentet adire vias. Romanæ insignia gentis

Di-

<sup>10</sup> Tritas vix haec tenus ulli. ] Scri-  
 ptit hac de re paucis, &      11      versu didactico vir eruditus  
 Guilielmus O-Kellyus.

A.

Dicere fert animus , sacrum ter fulmine missa  
Munus , & arcanas armorum tradere leges.

Ars , quæ digna Deo summis descendit Olympi  
Sedibus , ô utinam summis memoranda poëtis , 15  
Divino celebranda metro , Clarioque legenda ,  
Arsque canenda Deo ! si fors non carmine rebus  
Conveniente canam , nec fint mea digna legente  
Carmina ; parce meis , quisquis legis , ausibus : auro  
Non semper viridis tegitur custode Smaragdus , 20  
Sæpius & vili concreditur unio vitro.

Est pretio res digna suo ; mea , crede , nec addent ,  
Nec pretium tantis minuent mea carmina rebus.

Incepis , Pater alme , fave ; tua munera , faustum  
Romanis Ancyle canam ; Saliaria Martis 25  
Festa , quibus , Salios dicunt . nova pignora curæ ;  
Patratos patres ; cælestia munera , scutum ;

Anti-

12 Sacrum [per fulmine missa.]  
Tempore Numæ Pompilii  
scribitur scutum , ancyle  
dictum , cœlo delapsum es-  
se , de quo Ovid. l. 2. Fast.  
v. 369.

Ter tonuit sine nube Deus , tria  
fulgura misit.

14 Summis descendit Olympi .]  
De quo Ovid. ib. v. 373.

Ecce levi scutum versatum  
leniter aura  
Decinat ; à populo clamor ad  
astra venit.

14 Incepis , Pater alme , favo .]  
Propositio longior non ni-

hil , & præsens Poëma re-  
spicit , & versum ipsum di-  
dacticum ; Præcessit Ovidius  
in libro primo Fastrorum ,  
quem etiam secuti sumus .

25 Saliaria Martis festa .]  
Quis mibi nunc dicat , quare  
cælestia Martis  
Arma ferant . Ovid. l. 3.  
Fast. v. 258.

26 Nova pignora curæ .]  
Jam dederat Saliis ( à saltis  
nomina ducunt )  
Armâque . Ibid. l. 3. Fast.  
v. 285

27 Patratos patres .] Cur interfe-  
cia

Antiquos ritus , divos Fecialis honores ,  
Armorum retegens varias ab origine leges.

Te quoque , post superos rerum cui summa potestas , 30  
Auspice jura canam ; mihi Cæsar adesto canenti :  
Et decus Imperii , & pictas ab imagine ceras ,  
Arma patris , Proavosque tuos , aquilasque bifrontes ,  
Austriacæque damus tua gaudia , gentis alaudas .


ciales maximus est is , quem &  
parrem patratum appellant !  
is autem est , qui liberos han-  
bet vivo adhuc patre . Plu-  
tarach . Quælt . Rom . 61 .  
apud Pitilcum . lex . antiq .  
Rom .

28 Divos Fecialis honores . ] Fe-  
ciales , quod fidei publicæ  
inter populos præverant ; nam  
per hos siebat , ut justum  
conciperetur bellum ( & in-  
de deum ) & ut fœderes fi-  
des pacis constitueretur ; Exx &

bis mittebant , antequam  
conciperetur , qui res repe-  
terent : & per hos etiam  
nunc sit fœdus , quod fidus  
scribit Ennius , dictum . Var-  
ro . l . IV . de ling . lat .

Feciales à feriendo d'Elis . apud  
hos enim belli , pacisque fa-  
ciendi gus est .

34 Gentis alaudas . ] In scuto  
Austriæ gentilitio erant olim  
quinque alaudæ in campo  
cæruleo .





D E  
ORIGINE SCUTORUM  
GENTILITIORUM.



Ix animos pressit Pater omnipotens Olympi 35  
 Conciliisque Deum vindex Jovis ira resedit,  
 Inque suos vix cæde satur reddit unda meatus,  
 Fæmina fæmino vix reddita , virque virili  
 Redditus offis erat jactu ; Jovis unica magni  
 Cura fuit : ne fors hominem comitantia gentem 40  
 Crimina , divini fuerant quæ causa furoris ,  
 In terras redeant; redeant fraudesque , dolique  
 Armentur faciles neu fors in prælia fratres ,  
 Filius inque Patris ferat arma , suæque maritus  
 Conjugis exitium ; ne semine monstra relicto 45  
 Nuper in humanas redeant dominantia mentes ,  
 Et Jovis invitatis arment in fulmina dextras ;  
 Quodque superstes erat ( mirum est ) ultricibus undis ,  
 Fulmineo ( furor est Jove dignus ) ab igne cremetur.  
 Nec

38 *Fæmina fæmino]* Deucalion & Pyrrha jactis post terga  
 lapidibus , & partim in ma-  
 res , partim in fæminas con-  
 versis , genus humanum re-  
 stituerunt . Vid . L . I . Me-  
 tam . Ovid . Fab . I .

- - - *Saxa*  
*Missa viri manibus faciem*  
*traxere virilem ,*  
*Et de fæmino reparata est*  
*fæmina jactu . Ibidem*  
*v . 411 .*

Nec satis , omne novo scelus ut procul absit ab orbe , 50  
 Ni , Jove dante , novam novus hic sibi redditus orbis  
 Induceret faciem ; pulsus qui nuper ab oris ,  
 Jussus adesse pudor , pietasque , & pristina virtus ,  
 Jussa redire fides , viduasque revisere sedes .

Est orbis nunc visa Diis , & digna Tonante 55  
 Regia , nilque , nisi humanos imitantia vultus  
 Numina visa Jovi ; terras fore limina Divum ,  
 Si foret immortale genus , cælumque putas .

Ne tamen humanis , quæ defuit ultima rebus ,  
 Perficientis opus desit pia dextra Tonantis ; 60  
 Néve genus ( timuere Dii ) mortale , quod absit ,  
 ( O pronas hominum à teneris in crimina mentes ! )

Ac ignava ruat plasmato pondere moles ,  
 Inque suam redeat , qua natus origine , terram ;  
 Ast ut imago Dei , mentisque capacior altæ 65  
 Surgat homo , ut notet æterno sua nomina cedro ,  
 Virtutisque viam ( est homini res ardua ) firmo ,

Et pede non titubante terat , positoque subinde  
 Corpore , Semi-Deum merito donetur honore ,  
 Dixit Atlantiadi genitor : Cogantur in unum 70  
 Cætera turba Deum ; quæ sit sententia mentis ,  
 Explorare libet . Quamvis mihi nescia falli  
 Sit natura Jovi ; aut etiam si fallere vellem ,  
 Fallere non possim , tamen his errare viderer  
 Ne non consultis ; aliū mea dicta Deorum 75  
 Consilio firmare placet , sensuque probari .

A 3

Ad

70 Dixit Atlantiadi , ] Mercurio , || cui Mater Maja , Atlantis Filia .

Adfuit extemps⁹, nunquid non iussa parebit?  
 Turba Deum venerata Jovem; pars una sinistram  
 Occupat; atque Deum (nam morem fecerat usus,  
 Sique Jovem excipias) melior pars, fœmina dextram. 80  
 Sedibus impletis, indutus Majestatem  
 Jupiter augusto, quantus favor! ore salutat  
 Numina, quis finis, prodit, quæ causa vocantis,  
 Materiesque, caputque rei; sua quisque jubetur  
 Promere sensa Deus; primus tamen incipit ipse 85  
 Rex hominum superūmque Pater: pia Numina, nostro  
 Sanguine nata cohors! Quis enim vos gignere, præter  
 Me, posset? nostis, quæ sit mea cura Tonantis  
 In genus humanum: nostis, quam provida; tantam  
 Quis vestrum? quis habere potest? Nam Jupiter ipse, 90  
 Ni foret ille Deus, dixit, genitörque Deorum,  
 Credite, tot, tantisque foret mortalibus impar.  
 Nostis, ait, faciles quod sint in criminis mentes,  
 In vetitūmque ruant agnato pondere; tantum  
 Quis cohibere malum, nisi nos, quis frangere tantam 95  
 Vim poterit? Cogor, nam cur plasmavimus illos?  
 Obvius ire malo; Sed, quæ medicina paranda,  
 Promite. Tantis per filiū, responsa Deorum  
 Jupiter exspectans; Verūm reverentia summi  
 Quanta Jovis! filuere Deæ, filuere Deique. 100  
 Tunc Pater omnipotens: homini quæ gloria, nostis,  
 Insidiat; mortale genus quod tendat in altum,  
 Hoc Deus, & natura dedit; nullusque tot inter  
 Ultimus ille licet, vult inferiore reponi,

Et

Et residere loco ; putat, est cessisse vel uni 105  
 Quisq; nefas ; quamvis (magnum est discrimen utriusque)  
 Divinæ quamvis socientur corpora menti ,  
 Disparibus vincis , animusque prematur inertis  
 Pondere , non tamen opprimitur , semperque resurgit  
 Altior : haud aliter patefactis semina fulcis 110  
 Intumulata jacent , duplicataque fœnore surgunt.  
 Ac animus socia sibi mole levatur in altum.  
 Non premitur , sed pressa licet mens pondere surgit.

Huic stimulos ( quamvis vellem , si cogere , possem ,  
 Ut bene semper agat) stimulos , ait , addere visum est , 115  
 Queis velut illiciis mens non invita trahatur ,  
 Naturæque velut ductu meliora sequatur.  
 Est pœnæ , fateor , sua vis , est sœpe timori ;  
 Attamen his major pœnis est gloria ; magnum  
 Gloria calcar habet ; virtuti est gloria calcar , 120  
 Gloria magnorum est genitrix , nutrixque virorum.

His dictis , sua sensa refert : sanctissima cælo  
 Munera fert animus demittere , Jupiter inquit ;  
 Munera digna Diis , hominum quibus acta notentur ,  
 Divinaque manu cælata legantur in ære , 125  
 Innumeros , juro , non interitura per annos .  
 Sic opus est : secus ( est mihi mens præfaga futuri )  
 Verbis nulla fides , mortalia pectora , vestris .

Dicta Jovis pars voce probant , pars altra nutu  
 Dicta probant , nulli mens est contraria . Verbo , 130  
 Una fuit , mirare , Diis , mirare , Deabus  
 Mensque eadem . An tamen hæc fuerit sententia mentis ,

An, quantum est placuisse Jovi , placuisse voluntas,  
Nescio : rara tamen placuit concordia Divum.

Nuntius extemplo summo delapsus olympos 135  
Mittitur in Lemnum : Vulcanus adesse jubetur.

Absuit haud casu : nisi enim fors pena ferenda  
In genus humanum , mittendaque fulmina cœlo  
Consilio Divum Liparejus adesse vetatur.

Limen adorato tetigit vix Numine ; nostra 140  
Mens , ait , Omnipotens , animusque & nostra voluntas,  
Quam violare nefas , scutum ut non grande , rotundum  
Et breve procudas , & ab omni parte recisum.

Summa tamen medio , & pateant magis infima scuto ;  
Angulus emineat nullus ; scuti hæc sit imago , 145  
Hæc species ; eademque manus , quæ fulmina , scutum  
Nobile cudat opus , jussaque ancylia formet.

Quæque timoris erat , jubeo , sit amoris origo.  
Imperium Jovis esse puta , cudendaque pone  
Fulmina tantisper : summi est Jovis ista voluntas. 150

His dictis ( feriunt mortales fulmina , Divos

Di-

139 *Liparejus adesse vetatur.*] 8  
Dictus ab Insula Lipara , ubi  
Fabriile exercere dicitur  
Vulcanus.

142 *Scutum ut non grande.]*  
Ancyle vocatur scutum bre-  
ve , & rotundum. Ancyle  
dictum ab ancifione , quod  
sit ab omni parte veluti an-  
cisum. Isid. L. XVIII.  
c. 12.

143 *Et ab omni parte recisum.]*  
Ancilia dicta ab ancisu ,  
quod ea arma ab ura que

parte , ut peltae Thracum ,  
incisa . Var. de LL. Lib. 6.

144 *Summa tamen medio.]*  
Vide Tab. I. Fig. II. Numus  
est Antonini pii , in quo  
videntur duo scuta , non  
rotunda , cum inscriptione:  
Ancilia.

145 *Angulus emineat nullus.]*  
Idque ancyle vocat , quod ab  
omni parte recisum est :  
Quaque notes oculis , angu-  
lus omnis absit. Ovid.  
Fast. L. III. v. 377.

Diūta Jovis feriunt ) ausus nil dicere contra,  
 Vulcanusque via iussus , qua venit , eadem  
 Ne redeat ( Dii enim candore notabile questī  
 Lactis iter maculasse , suisque nigerrima cōlō 155  
 Mulciberem impreßisse ferunt vestigia plantis )  
 Ingressusque specum : tenuit mora nulla , Tonante  
 Jussum cōpīt opus ( sique est Cyclopibus ulla ,  
 Vulcanōque fides , quis enim hunc neget esse locutum  
 Vera Deum ? Siculus vel si potuisse putatur 160  
 Dicere falsa Deus , quis vera fuisse canenti  
 Crederet ista mihi ? ) procudere fulmina centum ,  
 Et faber assveto malle insudare labori ,  
 Se , Vulcanus , ait , quam tot conatibus unum ,  
 Ingens artis opus , jussum Jove cūdere scutum . 165

Vix opus absolvit , superum remeavit ad aulam ,  
 Exhibuit , placuitque Jovi , qui munera blando ,  
 Ut solet , exceptit vultu , clypeūmque probavit ,  
 Artificemque manum ( quis enim Deus acta Deorum  
 Improbet ? ) huic reliqui nutu , studiōque placendi 170  
 Confensēre Dii ; res est , mirabile , visa  
 Digna Diis : ipsos tanti pretiumque , suosque  
 Nobilitas operis perstrinxit lumine Divos ;  
 Quodque fidem , ni sacra foret , superare videtur ,  
 Maxima pars superum , fama est , si posse daretur , 175  
 ( Namque Deum non esse Deum vota irrita ! quamvis  
 Non Deus esse petat , prohibet natura Deorum )  
 Optarunt non esse Dii , sed sede relicta  
 Induerent hominēs ; licet est mortale , quod optant .

Resque, stuporque diu novitate Deosque Deasque 180  
 Plus, scio, s<sup>e</sup>pe novis capitur mare fœmina rebus )  
 Atonitas tenuit; Juno quamvis Regina Deorum,  
 Jupiter, ut reddat, jussit, simul hæc in verba solutus.  
 Hæc, ait, imperii, mortales, pignora certi  
 Non peritura damus; cœlestia munera, scutum 185  
 Virtutis stimulos placet esse ancylia vestræ.  
 Attamen ut nostris decus, & sit gloria rebus,  
 Utque homines divina suo dignentur honore,  
 Esse Diis sacra scuta placet; Martisque, meæque  
 (Subridens hæc verba dedit) sint scuta fororis, 190  
 Atque meæ sacra sint ancylia Numine Sponsæ;  
 Nonque per hæc nostris (aliis sacra munera quamvis  
 Esse Diis placeat) cultus discedet ab aris.

Jupiter his dictis, demittere dona parabat;  
 Ante tamen, queis sint ancylia ritibus, & quo 195  
 Excipienda modo, nostrum referentia vultum,  
 Et consulta viris, inquit, simulacra loquentur.

Alter ab Iliade nascenti præsuit urbi  
 Pompilius, Curiūmque decus, gentisque Sabinæ,  
 Cui nullum ante parem, nec post habuisse secundum 200  
 Fertur Roma virum; hic meruitque, tulitque futuri

Præ-

184 Hæc, ait, imperii, morta-  
 les pignora certi.] Jupiter imperii pignora certa  
 dabit Ovid. L. III. Fast v. 354.

186 Virtutis stimulos.] Ancylia  
 erant scuta divinitus Roma-  
 nis missa in virtutis insi-  
 gne. Fest. apud Pitisc. b. c.

198 Alter ab Iliade, ] Romulo,  
 Martis ex Ilio seu Rheo  
 Sylvia Filio.  
 199 Pompilius. ] Numa Pomi-  
 lius Sabinus genere, & Cu-  
 ribus ad regnum evocatus.  
 Anno urbis Conditæ 39.  
 Juxta Petavium.

30 Præscia jussa Deūm; certo tamen ore locuta  
 Sæpe Napæa fuit, divinaque jussa revelans,  
 Alloquio dignata virum est, sententia quæ sit,  
 Decretumque Diis maneat quod mœnia fatum. 205  
 35 Sæpius Egeriæ recreatus Numine Princeps,  
 Esse Jovis, didicit, mentem, demittere summo  
 Dona polo, Imperii quæ pignora certa futuri.  
 Hæc ubi missa polo, Marti sint sacra, sùaque  
 Junoni, Dea fatur, erunt ancylia Sponsæ;  
 Tum lege Pontifices, Salios, cultusque Ministros,  
 Qua ratione tamen, qua religione, modove  
 Scuta colenda viris, supremo hanc Numine legem  
 Esse scias, quæ omnes prisco jubet esse creatos  
 Sanguine, & hos Salios placet à saliendo vocari 215  
 40 Sique novus redeat revolutis mensibus annus,  
 Atque novo. Martis redeant si sole Kalendæ.  
 Sit non fausta dies populo; moveantur in omni  
 Scuta foro; Salii peltas, galeásque ferentes  
 Ære graves, latisque mitris sua tempora cincti, 220  
 45 Puni-

- 203 Sæpe Napæa fuit.] Egeria, 8 214 Prisco jubet esse creatos san-  
 Nympha sylvestris; de qua || gue]  
 Ovid. Lib. 3. Fast. v. 261.  
 209 Marti sint sacra.] Nympha,  
 mone nemori, siagnoque  
 operata Diana.  
 Quis mihi nunc dicat, quare  
 cœlestia Martis  
 Arma férant Salii. Ovid.  
 L. III. Fast. v. 256.  
 210 Junoni, Dea fatur, erunt  
 ancylia sponsæ.] Vide Piti-  
 seum hic.
- 214 Priso jubet esse creatos san-  
 gue]  
 Et superis demissa putant.  
 Sic illa profecto  
 Sacrifico occidere Numæ, que  
 lecta juventus  
 Patria cervice moverit. Luc.  
 L. IX. v. 476.  
 217 Redeant si sole Kalendæ.]  
 Dictum supra. Vide tamen  
 Ovid. L. II. Fast. v. 256. &c  
 seqq.

Puniceas tecti tunicas, atque ensibus arma  
Pultantes, choreas plaudant, & carmina dicant  
Pontifices, tibiæque modis Pœana canentes.

Quam tamen illa sacro Tarpeji parjete Divi  
Pendula condantur, ter quinis ante diebus, 225  
Et totidem post, scuta ferant per compita Romæ,  
Arjetis orbe redux, ubi Martia sidera Phœbus,  
Ingressusque novum metiri cœperit annum.

Usque tamen resonant, pergit Dea, compita sacro  
Carmine; non aries suspenso fortior istu 230  
Subruat impositos saxum compage soluta  
Muros, non plutei, non fit testudinis usus;  
Non adoperta levi procedat vinea terra;  
Non feriat catapulta viros; non mœnia nervis  
Pulsent Balistæ, motis nec turribus altas 235

In-

226 Scuta ferant per Compita  
Romæ.] Triginta nempe die-  
bus, ut quocunque in lo-  
co fuerint deprehensi Salii  
tempore triginta dierum  
eius solennitatis, ex eo  
non decadant. Polyb. apud  
Pitisc. Verbo: *Ancyle.*

227 Arjetis orbe redux.] Quar-  
to Idus Martias.

230 Non aries.] Infandum ha-  
bebatur his festis movere  
bellum; hinc Liv. XXXII.  
v. 13. Stativa deinde ad Hel-  
lesponium aliquandiu ba-  
buerunt; quic dies forte,  
quibus ancylia moventur,  
religiose uia iter inciderant.

Huc etiam pertinet, quod  
Svet. in vita Othonis refert:  
Expeditionem autem impri-  
grè, atque etiam præproperè  
inchoavit: nulla ne religio-  
num quidem cura, sed &  
motis, necdum conditi, an-  
cylibus, quod antiquitus in-  
faustum habebetur.

233 Levi procedat vinea terra.]  
Lucanus L. III. v. 488. &c  
Propert. L. IV. Eleg. 10.  
v. 33.

235 Pulsent Balistæ]  
Utque volat moles adducto con-  
cisa nervo,  
Cum petit aut muros, aut  
plenas milite terras. Vid.  
Ovid.

Invadant urbes; non pila minantia telis,  
 Nonque peregrinis miscebitur ensibus ensis.  
 Nec satis: ast viduæ stipulatis tactibus aræ  
 Thure vacent; Sponso non cingula lanaea nuptæ  
 Solvantur Sponsæ; non pronuba pignora, ferrum 240  
 Farre sacrum; non pinea tæda, facésque maritæ,

Non-

Ovid. Metam. L. VIII. A.

v. 357.

235 Motis nec turribus altas  
 invadant urbes.]--- geminásque æquantes  
 mania turres  
 accipit. --- Lucan. L. III.  
 v. 456.238 Nec satis.] Infautæ habe-  
 bantur etiam his festis nu-  
 ptæ patet id ex Ovid, L. III.,  
 Faſt. v. 393.Nubere si qua voles, quamvis  
 pro operabitis ambo,  
 Differ, habent parvæ commo-  
 da magnæ moræ.238 Ast viduæ stipulatis tacti-  
 bus aræ.] Nam moris fuit  
 veteribus stipulari & spon-  
 dere sibi uxores, L. 2. ff. de  
 spons.Pbdem erunt ---, quique  
 stipulari solent. Plaut. in  
 Curcul. act. IV. Scen. I.  
 v. 12.239 Sponso non cingula]  
 Cui mea virginitas avibus li-  
 bata sinistris,  
 Castaque fallaci Zona recin-  
 etæ manu. Ovid. Epist. II.  
 Heroid. v. 119.240 Ferrum farre facrum.] Quo  
 argumento etiam nunc spon-se annulus ferreus mittitur,  
 isque sine gemma. Plinius  
 Lib. XXXIII. C. I. Hist.  
 nat.241 Farre sacrum.] Nuptiæ olim  
 tribus modis contraheban-  
 tur, usu, nempe, Coem-  
 ptione, & Conſarreatione.  
 Quando nimurum certis ver-  
 bis adhibitis, testibus de-  
 tem præsentibus, solemnis-  
 que ſacrificio (in quo Far-  
 re utebantur) coram Pon-  
 tifice peracto, mulier in  
 manum viri conveniebat;  
 erat hic modus Patrias ple-  
 rūmque familiariſ, de quo  
 Tacitus L. IV. C. 16. Nam  
 patrias conſarreationis pa-  
 rentibus genitos tres ſimul  
 nominari, ex quibus unus  
 legeretur vetusto more. Grace  
 Φαρράνια.

241 Non pinea tæda]

Pronubam thalamo feram us  
 ipsa pinum. Sen. Meda  
 act. I. v. 37.

241 Facesque maritæ.]

Tolle procul decepte faces Hy-  
 menæ maritas. Ovid.  
 Heroid. Ep. X. v. 101.

Nonque corona placet; non sus sacra limina tangat,  
 Nonque lupinus adeps; nec solvat cuspide nexam  
*Hasta* comam; ignotoque ferat nec vase Camillus  
 Impubes cumeras, non te&a crepundia prolis. 245  
 Non Sponsis Hymenaea canant, nec frondibus ædes,  
 Ornenturque fores, cedatque Talassius urbe.  
 Hos sacros jubet esse dies pars optima summi  
 Juno Dei, vigili cui vincla jugalia curæ.

Fati-

- 242 Nonque corona placet.) Mi-  
 bi floridis corolis redimita  
 donus evat. Catul. Carm.  
 62.
- 242 Non sus sacra limina tan-  
 gat.] Proxima in communis  
 adipis lazu est, sed maxi-  
 mè suilli, apud antiquos  
 etiam religiosa. Certe nouæ  
 nuptæ intrantes, etiamnum  
 solenne habent postes eò at-  
 tingere. Plin. Histor. nat.  
 L. XXIII. C. 9.
- 243 Nonque lupinus adeps.)  
 Vide Nieuportium de nu-  
 ptius.
- 244 Hasta comam )  
 Comat virgineas hasta recurva  
 comas Ovid. L. II. Falt.  
 v. 560.
- 244 Ignotoque ferat nec vase  
 Camillus.) Camillus propriè  
 vocatur puer ingenuus Fest.  
 Paul. Diac. Con. & Varr.  
 L. VI. de L. L. igitur dici-  
 tur in nuptiis Casillus,  
 qui cumerum fert, in quo  
 quid sit in ministerio pleri-  
 que extrinsecus nestant.  
 Hinc Casillus nominatur  
 in Samotracos mysterium
- Dius quidam administer  
 Diis magnis.
- 245 Impubes Cumeras.) Cumera-  
 rum vas nuptiale à simi-  
 litudine cumerarum, qua  
 sunt paimeæ vel sporoæ ad  
 usum populare in sic abella-  
 rum. Feit. Paul. Diac.  
 Conj. & Horat. Ep. 7. ad  
 Mæcen. v. 29.  
 Forte per angustam tenuis vul-  
 pecula rimam  
 Repserat in Cumaram fru-  
 menti.
- 247 Ornenturque fores)  
 Ornentur postes, & grandi ja-  
 nua lauro. Juv. Sat. 6.  
 v. 79. & ibid v. 226.  
 Cedatque Talassius urbe.  
 Ut quidam historiarum scri-  
 ptor, Talassium ait, no-  
 mine virum, rapta Virgi-  
 ne unica pulchritudinis,  
 quod ei id conjugium fuerit  
 felix, boni omnis gratia  
 nunc redintegrari. Festus.
- 249 Vigili cui vincla jugalia  
 curæ)  
 Junonemque toris, que prefi-  
 des alma maritis. Ovid.  
 Heroid. Epist. II. v. 41.

Fatidico solata virum, vix ore locuta est 250

Consilium, conjuxque Numæ; parebimus, inquit,

Atque avido placitura feram rex iusta Quiriti.

45 Phæbigerò jam jam venit Hesperus obvius axi,

Occiduásque Phlegon properat lassatus ad undas,

Rex Numa lætus adest, retulitque Quiritibus æta. 255

Tarda fides dictis; ast, si promissa sequentur,

Spero, viri, credemur, ait: pondúsque, fidémque

Difficilem quamvis, nostro dabit exitus ori.

Cras ubi flammigeris surgens hinnitibus orbem

Excitat, atque illustre nigris caput efferet undis, 260

Tarpejūmque novo Titan, sacra culmina, montem

Depinget radio: tunc pignora certa dabuntur.

Discedit populus, dubiúsque palatia linguit;

Ast, vix mane novo, radians ex æquore Titan

Rorantes evexit equos, pia funditur aulæ

Circum turba virûm; viduas, juvenesque, scenesque

Destituere domos; solio Numa sedit eburno,

Nonque ignota Diis, precibus comitantibus, ora

Sustulit, atque manus; promissam, Jupiter, inquit,

Adde fidem dictis. Similes vix ore loquelas 270

Fuderat, &, facio sibi fulmine, panditur axis,

Speque, metuque pavent (Nam cum Jove fertur aperto

Pro-

251 Conjuxque Numæ)

Nympha, Numæ Conjux,  
ad tua festa veni. Ovid.  
L. III. Fatt. v.

255 Retulitque Quiritibus æta)

Hi & Quirites dicti, quia Qui-  
rinus dictus est Romulus, quod  
semper hasta utebatur, quæ  
Sabinorum lingua Quiris di-  
citur. Ifid Orig. L IX. de  
iis, quæ ad personas.

Prospexit polo, solito mansuetior ore  
 Mars, Phœbique soror, Pallasque, Venusque, Ceresque,  
 Et, qui forte fuit, Siculi, nigra numina, præses 275  
 Inferni, Majaque satus, Deus aliger, Hermes;  
 Ventripotens Bacchus Deus, & Latonia proles  
 Phœbus, & has inter regina, sororque Tonantis  
 (Quis numerando Deos poterit comprehendere?) Juno  
 Eminuit, ridensque suis caput extulit astris. 280  
 Intonuit sine nube polus, fragor æthera complet,  
 Atque reperclusso montes, vallésque reclamant  
 Murmure, restituitque Jovi sua fulmina Tibris.  
 Lumina depressere viri cum rege; reique  
 Exanimata cohors novitate, stupetque, timetque. 285  
 Ecce repentinum summa defluxit ab arce  
 Scutum (vix credenda loquor,) clausisque Deorum  
 Sedibus, immensus populi super æthera clamor  
 Surgit, & insolitus, gratissima munera, carmen  
 Intonat, & viva Pæan resonabat in urbe; 290  
 Non fecus ac Boreas obscuro carcere pressus  
 Solvitur, & tollit motos ad sidera fluctus.  
 Rexque levat mox pignus kumo, cæditque juvencam,  
 Quæ nullo sit pressa jugo; memorique revolvens  
 Mente Jovis promissa, pares jubet arte parari 295  
 Mamurio clypeos, similique exsculpta figura  
 Scuta jubet fieri; ne fors (est callida Regis  
 Cura Numæ) imperii metuat sua pignora certi

Dein-

297 Est callida Regis] Consilium      Plura jubet fieri simili calata  
 multo caliditatis ini.      figura, Ovid. L. III. Fast. 380.

Deinde sacrum tradi Saliis ancyle ministris  
 Jussit, & ad certum voluit sacra carmina metrum, 300  
 Atque novis cantanda modis; Fabrique supremo,  
 Artificisque sonent, jussit, sua carmina cantu.

Jam restitutus Jovis est sibi munere miles,  
 Jamque nova virtute potens circumflua terris  
 Aequora, & ignotas gentes, mundumque natantem 305  
 Crediderat, prædamque suis decreverat armis.  
 Nec Spes vana fuit: divis tremefacta sub armis  
 Terra gemit, pressusque novis jam legibus orbis  
 Romanum didicit patiens (quis crederet unquam?)  
 Ferre jugum, atque patet victori pervius ensi, 310  
 Tarpejumque Ducem mundus pede pronus adorat.

Jam Volsci, Marsique truces, Samnisque rebellis,  
 Et Silarus, quos nutrit aquis; Ligur, Hernicus, Aequus,  
 Et, quos Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon  
 Parturiit populos; Thusci, gentesque Picenæ, 315  
 Et Tyrrhena vado frangentes aequora Pisæ,  
 Quas Vulturinus aquis, & quas Padus alluit urbes,

## Arpi-

302 *Sua carmina cantu)*

*Tum sic Mamuvius; Merces  
 mihi gloria detur,  
 Nominaque extremo carmine  
 nostra sonent.* Ibid. v. 389.

312 *Samnisque rebellis)* Nullus  
 enim Italiae populus toties  
 jugum Romanum excusit,  
 ac Samnites.

313 *Et Silarus, quos nutrit  
 aquis.) Fluvius in Lucania.*

314 *Obnoxia fluctibus Ancon.)*

*Urbs celeberrima in agro  
 Piceno, à Syracusanis con-  
 dicta, Dionysii tyrannidem  
 fugientibus; dicta Ancona,  
 quia in angusto duorum  
 promontoriorum ex diver-  
 so coeuntium inflexu cu-  
 biti imagine sedens. V.  
 Pomp. Mela. L. II. c. IV.*

*Quas Vulturinus aquis.) Ma-  
 ximus*

Arpicolæ, Gabii, longi latus Apennini,  
 Peligni, Brutii, gens perfida, Græca Tarentus,  
 Arvaque Brundusii, quo desinit Itala tellus, 320  
 Romulidum timuere Deos, & vertice presso,  
 Quem super infuso domuit Dux Pœnus aceto,  
 Fertur mons humeros, & demissæ lacertos.  
 Nec satis: imponunt turritas fluctibus urbes,  
 Insultant pelago; petitur novus orbis in orbe; 325  
 Quosque cadens, oriensque suo sibi lumine Phœbus,  
 Urbs sibi non alios, inimico sanguine fines  
 Scriperat, atque suis pretium devoverat armis.  
 Vicerat Italiam miles, jam terra triumphis  
 Deerat, & æratis jam pulsant æquora remis. 330  
 Martis ab intuitu, quanta est, ruit Africa; Campus

Nilia-

ximus Campaniæ annuum &  
 est Vulturinus, qui & op-  
 pido, quod Ostio adposi-  
 tum, Vulturei nomen de-  
 dit.

317 Et quæ Padus alluit ur-  
 bes.) Fluvius Italæ post Ti-  
 berim nobilissimus, dictus  
 etiam Eridanus, varias ur-  
 bes alluit, præsertim Ve-  
 netorum.

318 Longi latu[m] Apennini.) Mons  
 à penna, quæ est summi-  
 tas, sic dictus; perfecta  
 mediam Italiam, cujus pars  
 Tyrrhenum, altera respicit  
 mare Adriaticum.

319 Græca Tarenus.) Civitas  
 magnæ Græciæ, cuius in-  
 colæ L. Valerium Präto-  
 rem nihil suspicantem cum

decem navibus dolo cæpe-  
 runt. V. Liv. hic.

320 Arvaque Brundusii.) Urbs  
 Calabriæ, & Italie finis re-  
 spicit mare Adriaticum.

322 Quem super infuso domuit  
 dux Pœnus aceto.) Fuit is  
 mons Penninus, diversus  
 ab Apennino, qui Italiam  
 dividit à Gallia, ut Livius  
 testatur Dec. III. L. I. c.  
 XIV. Capite vero præce-  
 dente sic ait. Cum cæden-  
 dum esset saxum, arboribus  
 dejectis, defruncatisque stru-  
 em ingentem lignorum fa-  
 ciunt, eamque, cum & vis  
 venti apta faciendo i[n] si-  
 coorta esset, succendunt, ar-  
 dentiaque saxa infuso aceto  
 purgescunt.

Niliacis fæundus aquis ; quos Regulus agros  
 Augurio felix, cœlo serpente, Deorum  
 Adjecit genti; Lybicæ Geticæque catervæ,  
 Atque sepulta suo Chartago funere, ferrum      335  
 Sensit, Roma, tuum; Taurus, penditque tributum  
 Caucasus, & domitis Euphrates volvitur undis.  
 (Acta quidem, sed mira loquor) tellusque Thetysque  
 Ignotis stupuit sua vivere littora signis.

Una sed urbis erat Romanæ cura, diuque      240  
 Sollicitam tenuit, pereant ne sanguine partæ  
 Majorum ceræ; ast gnatis ut semen avitæ  
 Virtutisque forent irritamenta nepotis;  
 Mens fuit una viris, pictis describere scutis  
 Acta patrum; varias clypeis cælare figuræ      345  
 Virtutum testes, memori quas mente revolvat

Po-

- 333 Augurio felix ) M. Atilius R. In gelidas consurgens Caucasus  
 Regulus Cos. Africam in-      seu arctos.  
 gressus ingentis molis ser-  
 pentem catapultis interfe-  
 rit, cuius pellis centum vi-  
 ginti pedum longitudine  
 Romam perlata fuisse perhi-  
 betur. Plin. Hist. Nat.  
 L. VIII. c. 14.
- 334 Deorum adjecit genti.) In- tellege Romanis.
- 336 Taurus, penditque tribu- sum Caucasus.) Taurus  
 mons Asia incipiens à Ca-  
 ria, & Lycia; ast alte af-  
 surgit ad Chelidoneas insula-  
 las. Caucasus mons Iberiæ & Albanie in Asia de-  
 quo Val Flac. L. V. v. 154. v
- 337 Domitus Euphrates volvi- tur undis.) Fluvius Arme- niz majoris.
- 344 Pictis describere scutis ) Erat  
 is olim Germanis etiam  
 usus, ut videre est apud  
 Tacitum de moribus Germ.  
 c. 4.
- 345 Acta patrum ) Terribilem  
 ostentans clypeum, quo pa- tris, & una  
 Cælarat patrii spirantes prælia  
 dira  
 Effigies. Sil. Ital. Lib. XVII.  
 v. 401. & seqq.

B 2

Posteritas, tentetque pares majoribus ausus,  
Et partum virtute patrum sibi nomen adæquet.

Nec mora: laurifero pinguntur sanguine patrum  
Illustres clypei: sunt Minotaurus, aperque, 350  
Sunt aquilæ, scutumque lupus, scutumque Dracones,  
Sphinx & equus, fævusque leo, sunt fulmina scutum.  
Jupiter! O quantis accendis pectora, quantis  
(Quis neget hæc potuisse Deos?) mortalia flammis!  
Grande Deum est virtutis opus, sacra pignora scutum. 355  
Ast Superi, superumque domus! pro tristia fata!  
Conquerar, an fileam! cecidit, pia Numina, virtus,

Im-

347 Tentetque pares majoribus  
ausus.) De quo Salust. Bell.  
Jugurth. Cum Majorum  
imagines intuerentur, vehe-  
mentissime sibi animum ad  
virtutem accendi. Et post.  
Sed memoria rerum gesta-  
rum eam flammarum egregiis  
viris in pectore crescere, ne-  
que prius sedari, quam vir-  
tus eorum famam & glo-  
riam adæquaverit.

350 Sunt Minotaurus.) Ho-  
rum signa in Scutis inven-  
tis apud Lipsium in Ana-  
lectis Lib. III. Dial. II. de  
militia Romana.

351 Sunt aquile.) V. Tab. I.  
Fig. IV. quæ (ut ait Li-  
plius L. L.) in columna  
Antonini reperta est, pu-  
tatque auctor fuisse signum  
legionis gemellæ, quoniam  
duæ velut aquilæ in unam  
sic mixtae: non vero ob du-

plex Orientis & Occidentis  
imperium, quod necdum  
divisum fuerat.

352 Særvusque leo) de quo Clau-  
dian. de bello Get.  
Dictaque ab Augusto legio, no-  
menque probantes  
Invicti, clypeoque animosis  
resti leones.

352. Sunt fulmina scutum )  
V. Tab. I. Fig. V. itaque  
vetus hoc cognomen.  
Legio duodecima fulmina-  
trix;) ab insigni fortasse  
scutorum sumptum, de quo  
Val. Flaccus de Bisaltis  
Lib. VI.

Cunæca phalanæ insigne Jovis,  
cælataque gestat  
Tegmina, dispersos trifidis  
ardoribus ignes.

Quamvis nonnulli velint ab  
impetu nomen fluere, &  
quod fulminis in morem  
rueret legio.

Imperium eecidit ; tantis virtutibus impar,  
 Atque sua sibi mole gravis ruit æmula tanti  
 Majestas populi ; pulsa virtute , vetusta 360  
 Alternis vicibus , succedunt crimina genti ,  
 Atque irretitum ( notissima fabula cœlo )  
 Mulciber est visus ( pudor est ) deludere Martem.

Millenas jam Roma nives , jam cana renatos  
 Millenis vidi juvenescere floribus agros , 365  
 Atque suo totidem Phœbus renovaverat annos  
 Lumine ; Tarpejis illustris fascibus , urbi  
 Jura dedit juvenisque , senexque Licinius. Omnes  
 Urbis in exitium sunt conspirasse notatae  
 Gentes ; quisque suis urbem speraverat armis ; 370  
 Non sic spirantes immani turbine venti ,  
 Non Zephyrus , validusque Notus , non Eurus ab ortu ,  
 Sævior aut gelida consurgens frater ab arcto ,  
 Dissidiis faciles , laceras in tartara puppes  
 Præcipitant , mersaque involvunt fluctibus alnos. 375  
 Non erit ( estne fides dictis ? ) non mille tot inter ,  
 Qui patriæ , rebusque velit succurrere lapsis ,  
 Atque vacillantem modo sustentare carinam ?  
 Ergo sua virtute satur sibi Roma , minorque

Maje-

368 *Jura dedit Juvenisque se-* 369 *Urbis in exitium.*) Hoc  
*nexque Licinius.*) Anno tempore triginta Tyranni  
 urbis conditæ circiter 996. || vexabant imperium ; quo-  
 præfueri urbi Publius Lici- rum ultimus Aureolus ad  
 nius Valerianus , & Publius Mediolanum sublatuſ à  
 Licinius Gallienus ejusdem Claudio Imp. anno circiter  
 filius. 269.

B 3

Majestate , suoque siet sibi pondere pondus ?

380

Jupiter, & merito , populis , ait , indignatus  
 Quo ruitis ? tantumne sibi quis posse videtur  
 Fata quoque ut supereret ? non sint auncilia rebus ,  
 Scutaque virtuti nec sufficientia vestrae ?  
 O Mortale genus ! si pœnituisse daretur ,  
 Muneris ut missi me , crede , fuisse futurum  
 Pœniteat ; sed juro fygem , jurandaque testor  
 Flumina , delictis meritas dabit ultio pœnas .  
 Jamque fatigatas prægnanti fulmine dextras  
 Strinxerat , atque suis numeraverat ignibus orbem . 390  
 Mens fuit exarmare manus , causasque furoris  
 Tollere , Vulcanumque suo solvisse labore .

Ast hominum miserata genus , mox Juno Tonanti  
 Hæc puto , vel certe , non his diversa locuta est :  
 Terrarum , cœlique pater , si sponsa , sororque , 395  
 Si nostras comitata preces sacra turba Deorum  
 Quid poterit , justos irarum comprime fluctus .  
 Summe Deum Rector , per Sponsæ , perque Sororis  
 Nomina , per Superos , per me , per teque Tonantem ,  
 Parce , precor : nescis ? an fors in crimina nescis , 400  
 Congenitoque genus pronum sibi pondere ferri ?  
 Nulla tibi fors pœna super , nisi fulmina , cunctos  
 Perdere si fixum est , quid condere profuit orbem ?  
 Es pater , es vindex ; sunt fulmina vindicis , inquit ,

His

391 Causasque furoris tollere : ) 392 Vulcanumque suo solvisse  
 homines & eorundem vi- labore . ) Cudendis seilicet  
 via . || fulminibus .

His major tamen est amor, & clementia patris. 405

Jupiter econtra ( fregerunt ultima tandem  
Verba Deum ) precibus mundum do, Numina, vestris,  
Attamen ( haud patiar ) maneat ne crimen inultum,  
Utque suo sibi , Roma, precor, sit redditus lapsu  
Cautior , imperium tollam ( quis dicere contra 410  
Audeat,?) immeritum populo sceptrumque, thronumque  
( Nam Jovis arbitrio, scimus, stant regna, caduntque )  
Uberiore dabo non notæ fœnore genti.

Theutonidum populi, terris gens nata, poloque,  
Quos generosa suis lactat Bellona papillis, 415  
Et Mavortis amor ; quos nec fera tartara frangunt,  
Quosque Jovis (nisi nostra forent) nec fulmina terrent,  
Et collapsuri præsint Spes ultima mundi  
Imperio , viduoque novus Rex imperet orbi ;  
Hosque penes legum, volo, sit veneranda potestas. 420  
Labitur his dictis volucer Tegeaticus axe;  
Ast vix iussa tulit, mundo applaudente, poloque  
Præficitur terris , Germanæ gloria gentis ,  
Pipini Soboles ; est perdita visa redire  
Et virtus, superumque favor , pietasque, fidesque 425  
Non ignota viris , nostrisque domestica fæclis.

Theutonica jam Roma suum virtute subactum

Vide-

421 Volucer Tegeaticus axe.)  
Mercurius Tegeaticus dictus ||  
à Tegea oppido Arcadiæ.  
424 Pipini soboles.) Carolus  
Magnus Pipini , Galliarum

Regis filius ob Desiderium  
Italæ Regem devictum ab  
Hadriano summo Pontifice  
Occidentis Imperator est re-  
nuntiatus, Anno salutis 800.

Viderat, atque sibi erectum ploraverat orbem.  
 O utinam, dixere viri, sacra pignora nunquam,  
 Lapsa polo nunquam, miserosque trahentia casus 430  
 Visa forent; scutum, superi! quid profuit urbi?  
 Essemus miserì sine crimine, forsque querenda,  
 Non celanda foret, lacrymæque pudore carerent.  
 Nil implesse juvat vacuas ululatibus auras,  
 Surdaque demeritis pulsantur sidera votis; 435

Quique coërcendis fuerat tot gentibus impar,  
 Alterius nunc discat iners ( sunt Numina flecti  
 Nescia) ferre jugum. Sic ferrea fata tulere.

Jam duo sunt tacito labentia fœcula cursu  
 Theutonicos mirata duces, jamque ordine longo 440  
 Cæsareis, victrixque novis onerata trophæis  
 Gens Alemanna gravi captivas syrmate gentes  
 Duxerat, Henricusque suum, qui nomen amato  
 Traxit ab aucupio, ludos decrevit equestris,  
 Trojanosque dato jussit certamine circos, 445

Queis

432 *Essemus miserì.*) Vid. Ovid. 8  
 Lib. III. Metam.

443 *Henricusque suum.*) Hen-  
 ricus aueps, qui teste Prix-  
 nero apud Rudolphium Part.  
 I. c. II. dicitur instituisse  
 ludos equestris, die Tours-  
 niet: Spiel anno circiter  
 935.

445 *Trojanosque dato jussit certa-  
 mine circos.*) ιπποδρομίας  
 Græce. de quo Suet. in Ti-  
 berio: Praesedit & Aetiacis  
 ludis & Trojanis circensibus

ductor Turme. Apertius in  
 Augusto. Sed & Troja ludum  
 edidit frequentissime, ma-  
 jorum minorumque puero-  
 rum delectu: prisci decori-  
 que moris existimans, claræ  
 stirpis indolem sic notiscere.  
 De his ludis Virg. Lib. V.  
 Æneid. vers. 548.

*Yade age, & Ascanio, si iam  
 puerile paratum  
 Agmen habet secum, cursus-  
 que instruxit equorum,  
 Quot abo turmis.*

Queis multos renovata dies, & sæcula virtus  
Cerneret, & stimulata novis juvenesceret annis.  
Nullus ibi ( nisi quos clarorum longus avorum  
Nobilitat sanguis, multasque ab imagine ceras  
Æmula majorum, virtusque novitia jaætet ) 450  
Armato concurrat equo, peregrinaque nudis  
Vecors adfæctet componere digmata scutis.  
Ne tamen ( ecce nefas ! ) horno vix sanguine natus,  
Involet in circum, scutoque inglorius albo  
Induat illustris mendax insignia gentis, 455  
Restitui antiquos placuit Fœcialis honores,  
Patratosque patres, queis Cæsar equiria curæ

Jusfe-

448 Nullus ibi, nisi quos clarorum longus avorum.) Nomine familiæ unicus admis-  
sus est ad ludos equestris; nec satis erat, eundem legiti-  
timo toro natum esse, aut etiam ejusdem majores pa-  
ternos & maternos in quar-  
tam usque generationem  
claro sanguine fuisse, requi-  
rebatur præterea, ne & ille  
ignobili feminæ junctus es-  
set; nec commercia tra-  
staret; qui vero vel un-  
quam in hæresin incidisset,  
aut homicida voluntarius,  
adulter, transfuga, siue  
domini proæditor fuisset,  
nunquam admissus est. Vi-  
de plura apud Rudolph in  
Heraldica curiosa p. 1.  
c. 2.

455 Scutoque inglorius albo.) 455 Scutum album erat indi-  
cium hominis plebeji, qui nullum facinus insigne in  
clypeo pictum gerebat. De  
quo Virgilius Lib. IX.  
v. 548.  
Ense levis nudo, parmaque  
inglorius alba.  
456 Placuit fœcialis honores, Pa-  
tratosque patres.) Intellige  
die Herolden / ab antiquo  
Ehren Holde / qui etiam vo-  
cantur Wappen & Könige;  
quorum erat cognoscere ha-  
ftas, scuta, galeas, & hu-  
dorū equestrium ordinem  
describere. Vide Rudolphi-  
um cit. Ibid. V Fig. VI. Tab. I.  
457 Queis Cæsar equiria cure.)  
Equiria ludi, quos Romulus  
Martii instituit per equorum  
curia

B 5

26 DE ORIGINE SCUTORUM GENTILITIORUM.

Jusserat ; his lustrare datum est hastasque , virosque ,  
Nobilitata patrum generoso sanguine scuta ;  
Sectio quæ clypei , quæ sit tinctura , situsque , 460  
Quæ galea incumbat parris , & imago venustet.

Cursum , qui in Campo 460 Sectio quæ clypei , quæ sit  
Martio exercebantur. Vi- tinctura , situsque.  
de Fest. Paul. Diac. con- Vide Tab. I. Fig. I. , ubi videbis  
junctum. habitum ludorum equestrium.



PARS



## PARS II.

## CAPUT I.

D E

FIGURA, SITU, DIVISIONE,

E T

CONJUNCTIONE SCUTORUM.

**D**E Scuto dicturus supervacaneum duxi hic adscribere, qui scutum, clypeus, parma, ancyle, cetra, & gerra inter se differant; fuerit quondam, non nego, discrimen: nos certe eandem omnino rem diversis etiam nominibus intelligi volumus. Hæc tamen de nostræ ætatis scuto notanda veniunt, figura nimirum, situs, & ejusdem divisio, plurimorumque inter se scutorum conjunctio.

I. Figura fere *quadrata* est, nisi quod inferius rotunda in cuspidem desinat; V. Tab. II. Fig. I. Non raro etiam apud nos varie inflexis & quasi tornatis marginibus; id quod unicuique liberum, cum ornatus tantum gratia apud nos fiat.

Hispa-

Hispanorum tamen plerumque *sine cuspide* apparet; apud Italos vero solos, præcipue apud viros Ecclesiæ Principes adhuc in usu scuta sunt *ovalia*, & id quidem, ut videtur in memoriam antiquorum Romanorum, Germanis, *ein Oval-Schild*. Est & alia, Gallis, *Lozanges*, Germanis *ein Rauten-Schild* dicta, quæ latera habet obtusa; Caput vero & pes in acutos angulos desinunt. V. Fig. II. Quadratam figuram refert Spenerus Art. Herald. p. 1. c. 3. p. 88., se non nisi unam vidisse Amadei nimirum Com. Sabaudiæ. Hæc de Figura.

II. Nunc de situ. Pleraque stant hodie recta, & si qua versus dextram inclinata, situ præcis usitatiore, reperiuntur, quæ Gallis *ecus couches*, ligende oder gelehnte Schilde Germanis, crediderim id suam debere originem usui militari; solebant enim prisci hoc situ excipere objecta hostium tela. V. Fig. III. Sin vero ad sinistram inclinata conspicuntur, volunt nonnulli, sed temere, seu domus ruinam minitantis, seu spuriū indicium esse; sed qua ratione? non capio. Neque enim ipsæ domus tali situ de causa scuti referent; neque aliis absque injuria id comminisci licuerit.

III. Scutum Priscis dividebatur rarius. Simplicitas enim & antiquitatis, & nobilitatis nota haud dubia est. V. Fig. I. Usus hodiernus obtinuit secari scuta; vel enim *perpendiculariter* secantur, *party*, *lang-werts* gleich getheilet. V. Fig. IV. vel *horizontaliter*, *gespalten*; quæ *sectio* si centro altior, dicitur *cephalum* der *Haupt-Spalt* / *sin-*

inferior der Fuß: Spalt. V. Fig. V. Postremum diagonaliter, quando, linea ex angulo superiori in oppositum inferiorem ducta, in duas partes scutum dividitur; idque, fit vel à dextris ad sinistram rechts: durchgeschnitten / Gallis trenchè; V. Fig. VI. vel à sinistris ad dextram links: durchgeschritten / Gallis taillé. V. Fig. VII.

Hæc de simplici sectione; est alia multiplex: quando vel duæ perpendiculares scutum in tres æquales tanquam per palos dividunt, tierçè en pal, ein gedritter / oder Pfahl: weis getheilter Schild. V. Fig. VIII. quando vero totidem transverse per fasciam in tres partes distinguunt, scutum fascialiter divisum dicitur, tierçè en fasce ein gedritter / oder Band: weis getheilter Schild. V. Fig. IX. vel si totidem diagonaliter ductæ per baltheum dextrum aut sinistrum tripartitum reddunt scutum, vocatur sectionis modus, tierçè en bande, ein gesdritt: theilster / oder dreyfach rechts: oder links: durchschnittener Schild. V. Fig. X.

Dividuntur etiam Scuta lineis non parallelis, quando vel in medio vel in extremitatibus scuti lineæ se invicem contingentes illud in tria spatia distaminant. In medio, si vel ex utroque superiore angulo descendentes lineæ tertiam à cuspidे ascendentem attingunt, in forma literæ Pythagoricae. V. Fig. XI., aut inversæ; sectio hæc & recta & inversa exprimi solet Gallis, tierçè en pairle, Germanis in die Ecke dreyfach getheilet / Dreyfach / oder Gabel: Form. V. Fig. XII. In extremitate. Si vel ex superioribus angulis descendentes duæ lineæ rectæ in cuspidis extremitate conjun-

junguntur. V. Fig. XIII. Vel contra, si inverso situ ex inferioribus tales linea<sup>e</sup> ascendentis in cephalii extremitate coëunt. V. Fig. XIV. vel quando quoad situm fasciam aut baltheos imitatur. V. Fig. XV. Huc refer & aliam sectionem huic quoad cætera similem, nisi quod linea<sup>e</sup> paululum curvatis exprimitur, der Zwickel<sup>s</sup> Spiz / der Taschen<sup>s</sup> oder Beutel<sup>s</sup> Zug / si duæ cuspides divergentes sursum tendunt. V. Fig. XVI. Sin vero deorsum, der Mantel<sup>s</sup> Zug. V. Fig. XVII.

In quatuor areas divide scutum linea<sup>e</sup> vel parallelis perpendiculariter, horizontaliter, & diagonaliter ductis, vel se invicem interfecantibus. V. Fig. XVIII. & Fig. XIX.

Quinaria sectio vix est in usu, Senaria fit linea<sup>e</sup> parallelis vel *non intersectis*, iisque modo perpendicularibus, modo transversis, modo diagonalibus vel *intersectis*, sic, ut perpendicularis una duas transversas, vel una transversa duas perpendicularares dirimat. V. Fig. XX.

Dividuntur etiam scuta in regiones, in Reihe / Gegenden deren Feldern / oder Quartier. Plures aut pauciores pro diverso sectionis transversæ numero. V. Fig. I. Tab. II. Si bis æquali distantia transversim secatur scutum, tres inde existunt regiones, Superior *cephalica* AA. die Haupt<sup>s</sup> Reihe. Media *facialis* BB. die Bands<sup>s</sup> Gürtel. Infima *Perigæa* CC. die Fuß<sup>s</sup> Reihe. Sin vero per plures transversas linea<sup>e</sup> scutum dirimitur, plures quoque evadunt regiones; sic si duæ linea<sup>e</sup> transversæ superiores hoc loco *punctis* expressæ, pariant quartam regionem, accedente inter Cephalia-

phalicam AA., & Fascialem BB.; Honoraria DD.,  
*lien d'honneur*, die Ehren-Reihe. Quando ve-  
ro duæ lineæ transversæ inferiores, itidem punctis  
designatae, inter Fascialem BB. & Perigæam CC.  
accedunt, evadit quinta regio dicta Umbilicaris  
EE. die Nabel-Reihe. Ultra non progredieris.

Puncta verò seu centra nonnisi tria recepta sunt,  
punctum scilicet honoris F. Cordis G. & Umbilici  
H. Vid. Fig. eandem.

Sunt & aliæ divisiones, quas irregulares voca-  
mus. Prima pinnarum, Crenelè, der Zinnen-  
Schnitt. V. Fig. II. Altera graduum ad instar, der  
Staffel-Schnitt. V. Fig. III. Alia dentes serræ  
majoris vel minoris referens, der Zahn oder Kerb-  
Schnitt. V. Fig. IV. Et aliæ quam plurimæ ad  
arbitrium eligendæ.

IV. Conjunguntur scuta, vel adunatione, per  
sectiones qualescunque, de quibus dictum est.  
vel juxta positione, quando scuto principali scutu-  
la minora plerumque per orbem, interdum ad  
rhombi modum circumponuntur. V. Fig. V.  
Vel infitione, quando scuto majori parvulae mi-  
nores inseruntur. V. Fig. VI. Hæc insertio fit  
fere in centro scuti, das Mittel-Schildlein A.,  
quamvis subinde in regione honoraria in der Eh-  
ren-Stelle, rarius pedi vel umbilico incumbat.  
Illud quoque observandum, nonnunquam aliud  
denuo includi, Gallis sur le tout du tout das Herz-  
Schildlein adpellatum B.

Vel colligatione, si scuta diversa tæniis colligan-  
tur, zusammen geheste Schild; horum rario est  
usus. V. Fig. VII.

Deni-

Denique *conglutinatione*, si duo quasi glutine  
jungantur, eaque integra, non mutilata appa-  
reant, qualia plerumque sunt conjugum. V.  
Fig. VIII. Hæc de scuto dicta sufficient.

**Q**uo deceat clypeos, patrum monumenta tuorum;  
Virtutis testes, illustres sanguine parmas,  
Quoque modo deceat similes majoribus ausus,  
Atque pari tentare animo, jactataque priscis  
Scuta notare viris, paucis, adverte, docebo. 5  
Quid tamen antiquis juvat inclarescere ceris,  
Si piger obducit patrum vestigia pulvis,  
Et tegat ingrato clarissima facta sepulchro?  
O furor! o fastus! non auro bellica patrum  
Pectora, magnanimo sed sunt imitanda metallo. 10  
Excludit similes patri Jovis armiger unguis,  
Et teneros aptat vibrando unguibus ignes.  
Non sanguis, sed vita parem, & facit æmula virtus.

Nil remoretur iter, timidæ se plurima forsitan  
objicient menti? sed contra audentior ito; 15  
Altius assurgas animis, atque omne fausto  
Non pudeat, natas ad maxima, tollere mentes.  
Ardua prima via est; quid tum? frangendus amore,  
Estque labore labor; pontus propinat amaras,  
Inque superficie non gratas gustibus undas: 20  
Alta sed econtra nectar promittit Abyssus,  
Melque foveat gremio; non mons, ast eruta montis  
Viscera constantis sunt præmia digna laboris,

Ergo

Ergo age : nunc clypeique situm , clypeique figuram,  
 Et qui jungantur , mox qui , dabo , scuta secentur ; 25  
 Ignotas monstrabo vias , artisque recessus.

I. Ante alios clypei , quartus quos Angulus ambit,  
 Germano placuere viro , & quos claudit acuta  
 Cuspis ; at Hesperiis ulla sine cuspide castris  
 Parma placet ; Rhombi referentia scuta figuras 30  
 Rara , videbis , erunt ; clypeusque simillimus ovo ,  
 Oenotriæ decus , & sacrata est gloria gentis.

II. Scuta ubi recta vides ; nostri est hic temporis usus ;  
 Umbo sed in dextram versus , nostrisque probatur  
 Inclinatus avis ; sin scuta jacentia lævam . 35  
 Respiciunt , generis , nulla ratione , cadentis ,  
 Sitque , volunt , Spurii , cur? nescio , sanguinis index.

III. Ast mihi scindendi placeat quæ forma , requires ?  
 Plenius hæc supra ; breviter nunc accipe : prisco  
 Tempore parma fuit scissis ingloria scutis . 40  
 Nostra sed econtra diversum sæcula morem ,  
 Et tenuere modum ; variis modo scuta secantur  
 Ductibus ; æquales nunc linea recta columnas  
 Dividit , inque pares clypeum mox findit Horizon  
 Tranversus Campos ; mox dexter , moxque finiter 45  
 An-

28 Et quos claudit acuta cu- 43 Æquales nunc linea recta co-  
 spis.) V. Fig. I. Tab. II. lumnas.) V. Fig. IV.

30 Rhombi referentia Scuta figu- 44 Inque pares clypeum mox  
 ras.) V. Fig. II. findit Horizon.) V. Fig. V.

34 Umbo sed in dextram.) V. 45 Mox dexter , Moxque fini-  
 Fig. III. ster.) V. Fig. VI. & VII.

**Angulus obliquo duplicatur, & area ductu.**

Hæc tibi dicta putes. Ast scinditur area campis.  
Si divisa tribus, palis mox scuta legenti  
Occurrent distincta tribus; tres fascia ductus  
Mox transversa dabit; totidem modo tractibus æquis,  
Et Diagonalis reddet tibi linea baltheos.

Sunt alii (est res arbitrii) ritusque, modique,  
Et numerant, quot facta viri, tot scuta figuræ.  
Estque parallelæ non semper sectio formæ;  
Pythagoreæ placet; nunc huic adversa placebit      55  
Sectio; quæ cephalo fuerant divisa, coibunt  
In pede; quæque pedis fuerant, mox ordine verso  
Vertice jungentur; modo fascia curva videtur,  
Fascia nulla licet. Distinctis scissa figuris  
Mox clausas cernes imitantia scuta crumenas;      60  
Pendula mox humeris monstrantur pallia scutis.  
Sæpius in quatuor distinguitur area partes,  
Sæpius in bis tres, in quinas rarius; omnis  
Absit inæqualis deformi ut digmate campus.  
Non tamen in plures discindi scuta repugnat      65

Par.

- |   |  |
|---|--|
| 48 <i>Palis mox scuta legenti.)</i> V. Fig. VIII.<br>49 <i>Tres fascia ductus.)</i> V. Fig. IX.<br>51 <i>Et Diagonalis.)</i> V. Fig. X.<br>55 <i>Pythagoreæ placet.)</i> V. Fig. XI.<br>& XII.<br>56 <i>Quæ cephalo fuerant divisa.)</i> V. Fig. XIII.<br>57 <i>Quæque pedis fuerant.)</i> V. Fig. XIV. | 58 <i>Modo fascia curva videtur.)</i> V. Fig. XV.<br>60 <i>Mox clausas cernes imitan-</i><br><i>tia scuta crumenas.)</i> V.<br><i>Fig. XVI.</i><br>61 <i>Pendula mox humeris mon-</i><br><i>straruntur pallia scutis.)</i> V.<br><i>Fig. XVII.</i><br>62 <i>Sæpius in quatuor.)</i> V.<br><i>Fig. XVIII. &amp; XIX.</i><br>65 <i>Nou tamen.)</i> V. Fig. XX. |
|---|--|

Partes; vicenis quatuor Dux Saxo recenset  
 Insignes clypeos; totidem dabit Austria campos.  
 Quis tamen hos inter, memori, volo, mente revolvias,  
 Sit clypeo medius, quis cor, quis pesque caputque,  
 Digmata in his (quod mos fert) nobiliora locantur.<sup>70</sup>

Hos clypeos lex certa tenet; sed saepius ulla  
 Collocat ars campis varias sine lege figuræ.  
 Scutaque sunt scissis nova mox illustria pinnis;  
 Moxque gradus referunt, dentique simillima parma  
 Cernitur, inque modum ferræ; quid plura? per omnes.<sup>75</sup>  
 Ite labor; breve sit monitum: mensura vetustæ  
 Arbitrium est hominis, manifestaque regula formæ.

IV. Forsitan exspectas, ritu quo scuta ligentur,  
 Quæis distincta modis clypeum cogantur in unum  
 Digmata? præstabô. Variis ubi floribus hortos      80  
 Delicias & veris opes, &, cespite picto,  
 Si litas cernes, varios dabit area campos,  
 Quos donis Pomona suis, quos læta venustat  
 Flora suis; illinc violæ, mox lilia surgunt,  
 Infelix Narcissus aquis; tulipæque rosæque      85  
 Solisæquæ calthæ, mox luxuriantur ocelli,  
 Atque suo nascens hyacinthus funere; paucis:  
 Multicolore suas ver pingit fœnore terras.

Quod

<sup>68</sup> Quis tamen hos inter.) V. <sup>74</sup> Moxque gradus referunt.) V.  
 Fig. I. Tab. III.  
<sup>73</sup> Scutaque sunt scissi,) V. <sup>74</sup> Dentique simillima parma.)  
 Fig. II.      Vid. Fig. IV.

C 2

Quod flores hortis, nostris sunt digmata scutis;  
 Multaque dissecto si nascitur area campo,  
 Multiplici, variaque repletur imagine pelta,  
 Et diversa suis est sectio regula ceris.

Nudaque sepe novae circumdant scuta coronæ,  
 Utque coronato medius stat Regulus orbe,  
 Haud secus adjectis supereminet area princeps  
 Campis, atque novo clypeus sibi lumen adoptat.

Sæpius inseritur majori parvula parvæ,  
 Utque suo teneras, carissima pignora, proles  
 Est mater complexa sinu; sic corda repleto  
 Inhaerent scuto, nec raro corcula cordi.

Si clypeos non sueta duos, aut tænia plures  
 Conjugat parvas, non damnes scuta, nec artem;  
 Mos erat antiquis; quamvis defecerit ætas,  
 Fugerit & priscus modus, & cum tempore ritus.

Dicta licet de scutis plurima, pauca supersunt, 105  
 Expediam paucis, breviterque docenda docebo.  
 Ut distincta jugo ne&tuntr corda marito,  
 Nonque resolvendo vivit cum conjugè conjux  
 Associata toro, sic jungere scuta licebit  
 Scutis non confusa novis, ast integra: bini  
 Sintque cohærentes socio quasi glutine campi.

His tibi, quis scutique situs, scutique figura,  
 Sectio quæ clypei, quæ sit conjunctio, fieri,

93 Nudaque sepe novæ.) V. Fig. V. aut tænia plures.) V. Fig. VII  
 97 Sæpius inseritur.) V. Fig. VI. 109 Sic jungere scuta licebit.) V. Fig. VIII.

Spero, satis : nostro si carmine sermo videtur  
 90 Durior, haud tibi verba putes peregrina, sed artem. 115  
 Quisque tuo Sartor, futor, faber ore loquetur,  
 Non capies, quæ dicta velit, non sensa; sed unde?  
 Est causa in promptu : non verba sonantia quasvis  
 Ingenerant artes, artis nisi noveris usum.  
 95 Sunt res non verbis, sed verba accomoda rebus. 120

## C A P U T II.

D E

## COLORIBUS ET TINCTURIS.

**P**Er colores & tincturas intelligimus varia metallorum, colorumque pigmenta, quibus scutorum imagines præsentantur, & discernuntur. Nullius est metalli usus nisi *auri* & *argenti*. Colores numeramus præcipios quatuor *rubeum*, *cæruleum*, *viridem* & *nigrum*, quibus nonnulli *purpureum* addunt.

Quamvis antiquis varius metalla & colores exprimendi fuerit modus ; *aurum* enim per ☽, *argentum* per ☾, colorem vero *rubrum* per ☿, *cæruleum* per ♀, *viridem* per ♀, *nigrum* per ♂, per ♀ *purpureum* exprimere solebant ; nostra tamen ætate mos longe diversus invaluit.

I. *Aurum* quippe notatur *punctulis*, quo metallo comprehenduntur etiam *cuprum*, & *aurichalcum*. **Golden / Gold / Garb / gelb.** V. Fig. IX.

C 3

II. Ar-

II. Argento tingenda relinquuntur alba ; ad hoc referuntur plumbum , stannum , ferrum politum , chalybs . Silber : Farb / weiß . V. Fig. X.

III. Rubetum colorem significant lineæ perpendicularares ; les gueules , roht . Hic apud plerasque gentes summi honoris index habitus primas tenet inter tincturas . V. Fig. XI.

IV. Ceruleum dant lineæ transversæ , seu horizontales , lazur , blau / Lazur : farbig . Ab aliquibus etiam rubeo præfertur , sed perperam . V. Fig. XII.

V. Viridus lineas habet diagonales dextræ , le si nople , grün ; prioribus haud inferior ad res natura sic comparatas fere adhibetur . V. Fig. XIII.

VI. Nigrum cancelli , seu perpendiculariter & horizontaliter sese interfecantes exprimunt lineæ , le sable , schwärz . Oculo non ita gratus in infimum fere locum rejicitur , & rarius integras areas replet ; aliud de figuris dicendum est , quæ isthoc colore occurrunt saepissime V. Fig. XIV.

VII. Purpureus ultimus lineis diagonalibus sinistris dignoscitur ; le pourpre Purpur : farbig / Regius olim color , & inde rarus in insignibus . V. Fig. XV.

Occurrunt etiam colores rosœ , aurantius , cæstaneus , cinericus , Violaceus , & similes quasi secundi ordinis , sed cum non nisi valde raro , & omnes ex superiorum commixtione fiant , ideo inter colores Heraldicos ipsis vix locus tribuitur . Res etiam naturales saepe suis nativis coloribus v.g. membra humana nuda , cum primis faciem & manus carneò in Fleisch : Farb exhiberi constat . Id tamen hic observandum venit : Figuras ari incisas , si nullam

nullam ex Heraldicis tincturarum notis habent, nativo colore debere exprimi.

VIII. Coloribus sunt affines pelles duæ, *Hermelina*, ut ajunt, altera; *vellus varium* altera. Illa sunt exuviae candidæ muris Pontici, *Hermeslin*, in extremitatibus nigris maculis conspersæ; quod tamen non obstat, quo minus in argenteo ut plurimum scuti campo ipsæ exuviae nigrae (imo in aureo quandoque rubeæ aut ceruleæ) exhibeantur. V. Fig. XVI. *Vellus varium* itidem sunt exuviae animalculi cujusdam dorsum cinereo-ceruleum, ventremque album habentis: *des vairs das Feh / oder kleine Grau*. Alii vocant pileolos ferreos, *Eisen / Hütlein / alii nolas*. Situs est aliquando *erectus*, aliquando *inversus*; *Stehende oder gestürzte*. V. Fig. XVII. *Tincturas* habet argenteam & cyaneam, *blaue Farb*.

IX. Artis hujus periti nonnullas de coloribus leges statuunt; quarum prima prohibet *metalla metallis*, & *colores inscribi coloribus*. Hæc tanen, ut omnis, multas patitur exceptions. Primo intelligenda est de figuris *principalibus*, non vero de *adhærentibus* seu *accessoriis*; hinc nihil impedit, quo minus leonis nigricantis *faculæ*, *lingua* & *corona* metallo tincta in campo argenteo recte collocentur. Dixi *accessoriis*. Si enim est accessorium ad figuram principem, non repugnat eandem colori superaddi; sic Hungaria in campo rubro habet collem viridem, qui est accessorius; Crux vero argentea est forma princeps. Secundo. Figura nativo suo colore tincta collocari potest in campo rubro. V. g. cancer ruber in campo rubro.

*Tertio* si scuto figuris suis jam repleto incumbat alia colore tincta. *Quarto* eximuntur ab hac regula figuræ honoris, de quibus. Cap. seq. *Postremum*, excipimus ab hac lege vellera *Hermelina*, & *Varia*, quæ, quia metalli pariter, & coloris loco haberi possunt, figuræ æque colore & metallo tinctas sibi inscribi patiuntur.

Lex altera jubet scutum in quatuor partes disjectum in areis oppositis alternare plerumque colores & figuræ; v. g. in Area A. & D. sit aquila nigra in campo aureo, & in area B. & C. sit leo aureus in campo rubro V. Fig. XVIII.

Ultima denique haud multum priori absimilis: si duæ figuræ similes E. & G. duo canes pone jungantur in duobus campis, alternant quoque arearum & figurarum tincturæ; unus nimirum aureus in campo rubro locabitur, rubeus alter in campo aureo. V. Fig. XIX. Idem observandum, si unica figura in duas partes divisa in duabus areis collocatur. V. Fig. XX.

**D**ifficilem quamvis scutorum tradimus artem,  
Perge tamen; parvi merces est magna laboris,  
O pudeat cœpisse, viam si tramite flexo  
Deseruisse placet; quantum O nos fallimur ipsi!  
Ardua sed vanum forsitan tibi scuta timorem 5  
Incutiunt? depone metum, nec comprime gressum,  
Arsque dabit faciles firmosque scientia gressus.  
Ulterius juvat ire; quibus modo nuda teguntur  
Scuta virum, dubios juvat explicuisse colores.  
Hæc sit prima tibi pingendi regula scuti; 10  
Pin-

Pingitur argento clypeus, flavoque metallo;  
 I. Ast color est varius, reliquis supereminet ater,  
 Cæruleus, viridis, ruber, & cui purpura nomen  
 Indidit, huic, demas reges, est rarer usus;  
 His quoque sanguineum jungunt, citrumque Britanni. 15  
 Hos inter certis adstrictus legibus ordo est;  
 Argento potius, variisque coloribus aurum,  
 His tamen argentum est; cedit tinctura rubenti  
 Cærula, cœruleæ viridis, viridique nigrescens.

II. Si variis, lex est distinguitur area punctis, 20  
 Aureus is color est; argentum signat inanis  
 Scuti Planities; est linea recta rubentis,  
 Quæ perpendiculo ducta est, nota certa coloris;  
 Cœruleo contra tinctum transversa notabit;  
 Ast, diagonalis viridem, si dextra; sinistra 25  
 Purpureum signant; interque secantibus atrum  
 Area cancellis monstrat distincta colorem.  
 Candida tincturis jungas duo vellera: muris  
 E Ponto exuvium, maculis sin area nigris;  
 Sin color est varius, nobis legisque peritis 30  
 Dicier id placuit varium, nolasve sonantes,

Pileo-

21 *Aureus is color est.) V. Fig. IX. & 26 *Sinistra Purpureum signant.)  
 Tab. III.**

V. Fig. XV.

*Argentum signat inanis scuti planities.) V. Fig. X.*

27 *Area Cancellata.) V. Fig. XIV.*

22 *Est linea recta rubentis.) V. Fig. XI.*

29 *Muris e Ponto exuvium.) V. Fig. XVI.*

24 *Cœruleo contra.) V. Fig. XII.*

30 *Sin color est varius.) V. Fig. XVII.*

25 *Ast Diagonalis viridem.) V. Fig. XIII.*

C 5

Pileolosve ; situs modo rectus cuspide frontem  
Respicit , alteriusve basin modo cuspide versus.

III. Hic color, hoc vellus. Nunc quaratione, doctbo,  
Et jungi qua lege queat tinctura metallo. 35

Usus is est artis: non junge metallia metallis;

Additur huic similis: non tinge colore colorem.

Quæ tamen accedunt primæ fors juncta figuræ,

Legibus haud substant: quamvis sit tincta metallo,

Attamen auratam non impedit area linguam, 40

Nec geminos aquilæ radios, rostrumque , pedesque.

Congenitusque color nostris nec legibus obstat.

Atque rubens rubeum non respuit area cancrum.

Si nova jam scutis incumbit imago vetusto

Digate repletis , nostræ nil derogat arti, 45

Vellera sunt dupli partim signata metallo ,

Et vario partim sunt vellera tincta colore.

Sique vides simili , tinctumque colore colorem ,

Explorasse juvat, scuti princepsne figura,

Sitne hac inferior : primo peccatur in artis 50

Leges ; præceptis nil officit altera nostris ;

Sic habet in rubeo viridem gens Hungara collem ;

Crux potior viridi tamen est argentea monte.

Legibus eximitur ( quæ scuta vocamus honoris )

In clypeo albescens , conjunctaque fascia rubro. 55

IV. Si fors in quatuor ( lex præcipit altera ) partes ,

Scissaque in obliquas si fors sunt scuta decusse ,

Plerumque oppositis eademque figura , colorque

Par-

58 Plerumque oppositus . ) V. Fig. XVIII.

Partibus alternant; eadem, quos prima, colores  
Area quarta tenet; color est, eademque secundæ, 60  
Majorum, quibus area tertia fulget, imago.

V. Si duo diversis jungantur lilia campis,  
Aut eadem in partes campis divisa locetur  
Forma duas, campique placet, formæque colores  
Alternare placet; medius Jovis armiger ales 65  
Sæpe ruber medio tintus spectatur in auro,  
Ait aurata rubro pars visitur altera campo;  
Scilicet alternant forma alternante colores.

62 Si duo diversis.) Vid. Fig. 63 Aut eadem in partes.) Vid.  
XIX. Fig. XX.

## CAPUT III.

D E

## FIGURIS SCUTORUM.

**D**Edimus scutum, scutique colores dedimus.  
Nunc qua imagine, quam multiplici, novane an prisca, nobili an ignobili, simplici demum an composita, aut facta insignes sint clypei, paucis delibabimus; utque ordine dicamus singula, primum, quis figurarum *numerus*, quis *ordo & situs*, dein quæ *Sectio*; quæ demum earundem  *significatio & partitio*, explicabimus.

I. Quod scuta per plures areas distincta, plures, imo quot areas, tot etiam figuræ admittant, usus docet hodiernus. Sermo igitur est nobis de scuto simplici in regiones non diviso. Ejusdem diversique generis figuræ, etiam plures, in eodem

dem scuto componi posse ne dubitamus quidem ; sic quinque in veteri Austriae scuto alaudæ conspi- ciuntur. Contrariæ licet mentis , nihil nos moratur Philippus Campanille dell' armi C. 2. p. 7. qui diversas in eodem scuto figuræ non nisi tres admiserit ; hallucinatur vir optimus , quam qui maxime ; quæ enim asserti causa? non invenio , nec ille expressit , ignoraverit forsan vir eruditus scuta , Gallis *sans nombre ohne Zahl / & semper ein besætes Schild /* appellata , quibus diversæ , imo tot figuræ , quot scuta capacia inveneris , inseruntur ; qualia sunt lilia , rosæ , cruces , corda , &c.

II. Ordo figurarum est duplex. In scutis perpendiculariter vel horizontaliter sectis hæc tibi sit regula : *ut digniora in supremæ regionis areis , seu ordine primo , reliqua in reliquis collocentur , factò semper initio à dextra versus sinistram.* Vid. Fig. I. Tab. IV. Ubi in area A. prima , secunda in B. , tertia in C. in D. quarta collocabitur. In sectis palariter , *palus medius , & quidem superior ejus area , præcipua dignata.* In sectis per decussim , *caput & pes ea continent.* Disceditur tamen ab hac regula , dum præcipua figura non in prima regione , sed in peculiari parmula , vel in centro totius scuti , etiam interdum absque tali parmula collocatur. Vid. Fig. X. Hæc de sectis ; de scutis non sectis placet altera : Si *duabus* figuris insigne scutum , una vel supra , vel penes alteram collocatur ; *sin tribus* , palum imitantur , vel triangulum. Si *quatuor* , in capite unam , in pede alteram , reliquas cernes ad utrumque latus. Si *quinque* , quam

quam figuram etiam Rhombum dicimus, referent formam crucis.

III. Situs, die Stellung vel est *naturalis*, die *naturliche Stellung*, vel præter *ordinem & modum*; nunc enim *erectæ, inclinataæ, cubantes, inversæ* conspicuntur; nunc frontem, *affronte Stirn Gegen-Stirn*/ nunc dorsa *adossæ, Rücken*/ *Gegen-Rücken*/ sibi obvertentes. Pauca de situ, nunc de Sectione.

IV. Interdum non integræ figuræ, sed in duas sectæ partes, animalia cum primis aut flores apparent, sic ut dimidium figuræ in una area, dimidium in altera ponatur. *Quo tamen casu tintinnaræ figurarum & arearum alternis vicibus mutentur.* Vid. Fig. XX. Tab. III. Aquila v. g. nigra media in campo aureo, aurea media in campo nigro. Id quod intelliges, non de sectis modo figuris, sed integris etiam, ita, ut lilyum unum argenteum integrum in campo rubro, in campo argenteo rubrum alterum collocetur.

V. Significationem paucis accipe. Multa multi, figurarum occasione mysteria mentiuntur; ominantur plurima, &, ut assolent, sine causa. Libero seu Eligentium, seu Imperatorum arbitrio res omnis absolvitur. Poëtis hæc liceant & parasitis, è more suo egerint illi. Quæ enim Sæculis superioribus & pene incultis insignium eleæcio? Non tamen, quin excipiam pauca, hæc temere asseruero; nostra enim ætate non paucos suis figuræ scutis inseruisse comperio, quæ Majorum præclare gesta, ipso etiam nomine, refellant. Talem volunt esse, in Austriacorum scuto

to baltheum argenteum. Hunc Leopoldus VII. Dux Austræ, dum undique in clade ad Ptolomaidem sanguine ruberet, & illa solum corporis pars, quæ baltheo cingebatur, candida, & intacta appareret, inferuisse dicitur; quamvis hujus causa sit valde controversa, ut inferius dicemus.

VI. Multiplex, & pene sine numero est figura; id tamen præprimis tibi advertendum venit, alias esse figuræ honoris, les pieges propres & honorables. Die Ehren: Stücke / Ehren: Bilder; Vulgares alias; illæ vel sunt primi generis, vel secundi aut etiam imminutæ. Primi generis figuræ sunt Cephalus, caput scuti, Chêf, das Schildes: Haupt. Vid. Fig. II. Tab. IV. Fascia, seu Zona, Fasce, Band/ Binde. Quer, Balcke Vid. Fig. III. Cippus, seu palus & columnæ, Pal der Pfahl Vid. Fig. IV. Baltheus seu radius diagonius dexter, der rechte Schreg: Balcken; Vid. Fig. V. Sinistrum Galli contendunt indicem esse spuriæ; sine ratione profecto. Cantherius, fastigium, tholus, chevron, germanice die Sparren / duo nimirum tigna tertiam scuti partem expletia, & in modum cantheriorum juncta. Vid. Fig. VI. Quadrans numerandus etiam inter figuræ honoris, si Area, quæ supereft, uno solum sit tincta colore, nec aliis figuris insignis. Vid. Fig. VII. Triens inferior, seu scuti pes, champagne der Sonder: Fuß/ der Boden Vid. Fig. VIII. Medulla, cor scuti, ecusson, das Schildlein/ est figura scuti parvulae in modum efficta, & clypeo gentilitio, cætera vacuo, peculiari tinctura inclusa, non tamen una semper, sed quandoque duplex, triplex: Vid. Fig. IX. Figu-

Il. Figuram refert vix non eandem, *Orula*, *peribolum*,  
*limbus interior*, *orle des Schildes Saum* / *Kragens*  
*oder innere Einfassung*. Vid. Fig. X. *Pinnula*  
*triangula seu Petalon trigonum & Scalenus*, *Giron*,  
*der ledige Drey*: *Ecl.* Vid. Fig. XI.

His adduntur etiam cruces; præcipuæ sunt il-  
læ, quæ desinunt in *Lilia* ein *Lilien*: *Creuz*. In *ha-*  
*mos* ein *Hacken*: *Creuz*. In *anchoras* ein *Ankers*:  
*Creuz*. In *serpentes* *Schlangen*: *Köpfigte*: *Creuz*.  
*Theutonica* des *Deutschen Ordens*. Vid. Fig. XII.  
*Melitensis* deren *Malteser*: *Ritter*: *Creuz*. Vid.  
Fig. XIII. *Lotharingica*, *Patriarchalis*, *Archiepi-*  
*scopalis*. Das doppelt *Lotharingische* oder *Spas-*  
*nische* *Creuz*. Vid. Fig. XIV. *Crux S. Antonii* li-  
teram T repræsentans. Vid. Fig. XV.

Figuræ honoris secundi generis sunt *Tessellæ ges-*  
*schachtet* / *gewürflet* / *échiquiers*, quæ à forma hu-  
*jus* instrumenti nomen habent Vid. Fig. XVI. hanc  
figuram Spenerus L. 2. p. 187. contendit & anti-  
quissimam esse & honoratissimam. Secundo,  
*Rombi*, *Lozanges*, *Rauten*: *Stein* / *Schrenker*  
*Schach* / modo acutioribus, modo obtusioribus  
angulis constant, & tinturis non tantum binis  
alternatim positis, sed & tribus quandoque ef-  
formantur, idem etiam de *tessellis* intelliges. Vid.  
Fig. XVII. Tertio, *Cunei* seu *fusi*, fusées. *Spins-*  
*del* / *Wecken* / figura itidem quatuor angulorum,  
ast longe acutiorum; aliis *bipennis* *militaris* vo-  
catur. Vid. Fig. XVIII. Quarto, *Annuli*, *An-*  
*nelets*, *Ring* / gemmis non distincti ( talibus quip-  
pe ornati ad figuræ artificiales referuntur ) vel  
singuli vel plures Vid. Fig. XIX. Quinto, *Late-*

*res, Cohortes bellicæ, scedulæ, Brief / Ziegels  
Stein / quæ modo solitariæ, modo ut accessoriaræ  
alterius figuræ visuntur, situ interdum recto, in-  
terdum obliquo, interdum transverso.* Vid. Fig.  
XX. *Sexto, Cancelli, Gitter oder Netz / tæniis  
vel rectis, vel obliquis scutum dividunt.* Vid. Fig. I.  
Tab. V. *Septimo, Cuspis, Pila, Spitze / Saus-  
len / ad pyramidis modum, situ tamen vario di-  
spositæ.* Vid. Fig. II. *Postremo, Orbes, aut Glo-  
bi Münz: Wappen: Pfennige / quos Galli besants,  
nummos Bizantinos adpellant.* Vid. Fig. III.

Ejusdem etiam ordinis sunt figurarum *diminu-  
tiones*; figuræ nimirum honoris, quæ justum, &  
sibi debitum alias spatiū non explent; sed exi-  
guā forma apparent diminutæ. *Fasciolæ*, quando  
Fascia vel tertia parte diminuitur, aut in plures  
dividitur; sin vero media, *Ligulae*; demptis au-  
tem reliquis si quarta pars remanserit, *Filum*.  
Vid. Fig. IV. nuncupabitur.

Ordo nunc vocat *ad figuras Vulgares*, quarum  
aliquæ sunt *naturales*, *artefactæ* alteræ. *Naturales*  
vocamus illas, quæ illa omnino forma, qua Na-  
tura easdem dotavit, aut paucis adjectis in scuto  
collocantur, ut sunt: *homo, leo, cervus, canis,  
sol, luna, stellæ, piscis, montes, fontes, &c.* *Arte-  
factæ* vero continent *vitra, scyphos, turres, Pyra-  
mides, hastas, vexilla, &c.* quidquid demum ma-  
nu artificis laboratur: Addunt Hispani sua etiam  
*lemmata*, quæ nonnunquam scutis adscripta con-  
spiciuntur.

Regula de figuris una est, eaque in arte scu-  
atoria facile princeps, *figuras*, nimirum, quo *sim-  
plicio-*

pliciores, eo antiquiores esse, & nobiliores; præstant proinde & naturalibus, & artefactis figuræ honoris seu primi, seu etiam secundi ordinis, Di-  
minuta sint, aut integræ.

**T**ertius explicitis nunc exigit ordo figuræ  
Tincturis, quæ sectio, quis numerusque, situsque,  
Formaque sit clypei, quæ vis sit & ordo Figuræ.

I. Non lex est numero: sint scuta novemve, decemve,  
Aut sint disparibus, nil refert, consita formis. **5**

II. Quæ prior has inter sit, posteriorve, docebo;  
Ante tamen quam sit mihi sermo, modumque, genusque  
Scire juvat paucis, scuti similesne figuræ,  
An sint dissimiles; magnum est discrimen utrisque.  
Nec satis: ast sectis, videas, planisne figura **10**  
Incumbat scutis, quibus est sine digmate campus.

In partes transversa duas si linea campum  
Dividat, inve duas scindat si recta columnas,  
Dignior in summa regione figura locatur;  
Ordine succedunt aliae, dextramque sinistræ **15**  
Anteferas; Plures sin continet area palos,  
Est potior medius; regio si secta decussim,  
Fesque, caputque placet primis insigne figuris.

Ha-

**11** Sine digmate campo ) digma || **14** Dignior in summa. ) Vid.  
à Græco θίγειν, tango, || Fig. I. Tab. IV.  
quia figuræ se invicem con-  
tingunt.



D

Hactenus in sectis: verum, si est unica scutū  
 Area, quis reliquas inter sicut ordo, docebo. 20  
**Nobile** si duplici est duntaxat imagine scutum,  
 Una sit inferior, suprema sit altera, eodem  
 Ultraque vel situanda loco. Tribus ordo placebit,  
 Ut par emineat, succumbat tertia, formam  
 Pythagoræ referens. Quatuor si scuta figuris 25  
 Insignita placent, recto dabit area ductu  
 Formas, aut posito quadrum dabit area rhombum.  
 Inque crucis, si quinque, loces, speciemque decussis.

III. Formarum situs est duplex. Si fertur eodem,  
 Quem natura dedit, motu, gressuque figura, 30  
 Dices congenitum; sed ab hac si lege recedit,  
 Insolitum contra placuit, fictumque vocari

IV. Sectio dat medias alia in regione figuras;  
**Et** si pars aquilæ prius auro inserta rubebat,  
 Altera mox campo committitur aurea rubro. 35

V. Quamvis prisca negent formis vim sacerula, nostro  
 Ut solet, est exorta superstitionis libido  
 Fingendi saeclo, magnumque subesse putatur  
 Mysterium formis; certum natura videtur  
 Vimque modumque suis nunc impressisse figuris. 40  
 Ne tamen inductus credas errore, voluntas  
 Sola, scias, mensura rei est, formaque Magistra,  
 Arbitrium modus est, & nostræ regula formæ.  
 Si tamen in scuto naturæ insignia cernis,  
 Sæpe tulit dubius (non est vis mystica,) casus. 45

34 *Et si pars aquilæ.*) Vid. Fig. XX. Tab. III.

Non

Non tamen inferior , scutum clypeosve subinde  
20 Nomine , non formis disconveniente , notari.

VI. Nunc quæ forma , juvat paucis describere , quæ sit  
Pars clypei. Duplici discernitur ordine forma.

Ordo prior Cephalum numerat , scutique coronam ; 50

Hanc sequitur Cippus , transversaque fascia ; dexter

Baltheus obliquus ( Gallis , sine lege , finistrum

Indicium placet esse nothi ; ) duo vertice juncta

Tigna ; Quadrans , formas inter numerandus honoris ,

Area , quæ supereft , si uno sit tintæ colore , 55

Sique aliis non sint insignia scuta figuris.

His tamen adde pedem scuti , scutique medullam ,

Atque trigonorum petalon , clypeique scalenum .

Multiplices his adde cruce , queis lilia , serpens ,

Queis hamus , Teuto , quibus indidit anchora nomen , 60

Cruxque crucis , Melitæque decus , Lothareque venustas

Gentis , & adjunctus supremo in vertice palus .

Nobi-

50 Ordo prior cephalum numerat .) Vid. Fig. IX.  
& X.

51 Hanc sequitur cippus .) Vid. Fig. IV.  
Transversaque fascia .) Vid. Fig. III.

58 Atque trigonorum petalon ,  
clypeique scalenum .) Vid.  
Fig. XI.

52 Dexter baltheus obliquus .) Vid. Fig. V.

60 Queis hamus , Teuto .) Vid.  
Fig. XII.

54 Duo vertice juncta tigna .) Vid. Fig. VI.

Quadrans formas inter numerandus ho-  
noris .) Vid. Fig. VII.

61 Melitæque decus .) Vid. Fig.  
XIII. Lothareque venustas .)  
Vid. Fig. XIV.

57 His tamen adde pedem .) Vid. Fig. VIII.

Scutique 62 Et adjunctus supremo in  
vertice palus .) Vid. Fig.  
XV.

Nobilitate minor sequitur Tessella ; frequentes  
Cum Rhombis cunei ; junctæ sine pondere gemmæ  
Annulus ; & lateres, cancelli, cuspis, & orbis. 65

Sæpius has minui placuit cum nomine formas ;  
Fascia ( si reliquis fuerit pars dempta duabus,) A  
Fasciolæ ; ligulæ , medium si dempseris ; ast si  
Unica quarta manet , fili pars nōmen habebit ;  
Ordine si duplici , placuit dixisse gemellum ; 70  
Tergeminum , triplici si ducitur ordine filum.

Nomen ab antiquis tulit unus & alter honoris  
Ordo figurarum. Nunc quas natura , manusque  
Artificis , dicam , scutis quas addidit : harum  
Nullus erat prisci , nostri est hic temporis usus. 75

Sol, Stellæ , lapides , hominesque , Deique , Deæque ,  
Et pennata cohors ; piscis maris incola ; montes ,  
Colliculi , fontes , sylvæ , puteique , facesque ,  
Flores , & quidquid repitve , volatve , natatve ;  
Prodigiosa suis quod junxit fabula formis , 80  
Cristatus , Taurusque triceps , Aquilæque bifrontes ,  
Alatusque Leo , has numerat natura figuras.

Vitra , Scyphi , turres , tentoria , templa , coronæ ,  
Pyramides , portæ , calcaria , parsque lupati ,  
Mucrones , hastæ , vestes , vexilla , bipennes , 85

Et,

63 Nobilitate minor sequitur Tessella . Vid. Fig. XVI.

Et lateres ) Vid. Fig. XX.  
cancelli.) Vid. I. Tab. V.

64 Cum Rhombis . ) Vid. Fig. XVII. Cunei . ) Vid. Fig. XVIII.

Cuspis . ) Vid. Fig. II. Orbis . ) Vid. Fig. III.

65 Annulus . ) Vid. Fig. XIX.

66 Sæpius has minui . ) Vid. Fig. IV.

Et, quorum Hesperiis est usus, Lemmata, voces;  
Postremo artificis veniunt hoc ordine formæ.

65 VII. Prisca tamen clypeis, sunt simpliciora figuris  
Anteferenda novis; nam præstat baltheus urso;  
Austria! liligeris præstat tua fascia scutis. 90

70 90 Austria! liligeris præstat tua fascia scutis.) Austria enim in scuto gentilitio, ut vide-  
bimus inf., in campo rubro || habet fasciam argenteam, quæ secundum leges artis  
scutariae nobilior est scuto seu liliis Galliae.

## C A P U T I V.

D E

### GALEA SCUTI, CORONIS, ET APICE SCUTORUM.

80 **G** Alea, seu cassis est tegmen capitis bellicum; Gallice, *heame*, Germ. ein *Helm* / *Sturmhut* / *Pickel-Haube*. Ut enim scuto corpus, ita galea caput obtegebant milites, & hinc utrumque in insignibus receptum. Priscis temporibus pro galea ferarum exuviae fuerunt, exertæque per earum rictus militum facies, ut ita ferocitati lenocinantes eo majorem hosti terrorem incutarent Vid. Fig. III. Tab. I. Quatuor nobis hic explicanda veniunt: *Species*, *Tinctura*, *situs*, & *numerus*.

85 I. Quamvis olim non nisi duo galearum genera fuerint recepta; alia nimirum *clausa*, *aperta* altera; hodie tamen est triplex; *Patula* sine ullo clathrorum vestigio, quæ Regibus, & iis, qui

D 3

sum.

summo cum imperio præsunt, tribuitur; Vid. Fig. V. Tab. V. *Clathrata*, quam ii duntaxat sibi vendicant, qui Nobilium juribus ex imperii lege gaudent; Vid. fig. VI. Hæc ferreis circulis (quos Galli *Grilles*, nostri *den Rost / craticulam* appellant) aut clathris obducitur. *Clausa* demum, *der Steck / Helm*, quæ plebei, & obscuri sanguinis est index. Vid. Fig. VII.

II. In Cæsareis diplomatibus galeæ color vix exprimitur, metallo tamen, & quidem auro plerumque efformari placet.

III. Situs galearum est vel *rectus*, vel *obliquus*. Si una sola comparet, recto plerumque situ conspicitur, vel ad dextram inclinata: Vid. Fig. IV. Lævam enim versus flexam illegitimorum natalium indicium esse volunt, quod quidem in Germania citra gravem in illustres familias injuriam admitti non potest; an apud alios? viderint illi. Sin vero plures uni scuto imponantur, elegantiae causa aut frontes, aut occiput sibi obvertunt, mediis recto situ locatis. Vid. Fig. I. Hæc tamen pendent à cujusque arbitrio. Id tamen haud negligendum, quod olim, ubi situs scutorum erat inclinatus, cassis sinistro angulo fuerit imposta. V. Fig. IV.

IV. Plures galeas eidem scuto incumbere, quamvis absurdum videri posset, usu tamen sic obtinuisse videmus. Rationem reddimus adoptionem alienorum scutorum, quibus singulis suæ respondent cassides. Ubi tamen instar legis, quamvis non perpetuæ, habetur, ut, si tres scuto incumbunt galeæ, principi medius locus adsignetur.

V. Ga-

V. Galeis proximæ sunt coronæ. Varias numerat Romana vetustas: *Querceanam*. seu *Civicam*, quæ dabatur ob servatum, vel hosti eruptum ci-vem; *Vallarem* seu *Castrensem*, quæ aurea vallis-que exornata concedebatur iis, qui primi vim in castra hostium fecerant, vallumque refixerant; *Lauream*, quæ victorum erat; *Cupressinam*, in furoribus & victimis feralibus adhibitam; *Ovalem* seu *Myrteam*, ab ovatione sic dictam; *Classicam*, quæ itidem aurea, proras vel puppes, velaque na-vium sustinens iis dabatur, qui in navali pugna se fortis gesserant; *Muralem* ei concessam, qui muros primus confunderat; fuit aurea, Leun-culis circa inscriptis, ad turris speciem formata; *Gramineam* iis, qui vel obfores depulerant, vel obsidionem strenue toleraverant. Hæc de anti-quis; Ast quid de nostris?

VI. Corona Cæsaris est duplex; *antiqua*, quæ *Norimbergæ adseratur*; Vid. Fig. IX. & domesti-ca *nova*, Vid. Fig. VIII., qua primum usus est Carolus V. cum enim Franciscus I. Rex Galliarum clausa uteretur, Cæsaream à Regia distin-gui voluit. *Regiae* contra octo semicirculis con-cluduntur, conclusæ veluti nec ad ulterius in-crementum adspirantis potentiae aut fastigii no-tam referentes; Vid. Fig. XIX. Quæ vero Superius patulæ foliis & unionibus in margine ornatæ *Ducibus*, *Principibus*, *Comitibus* aliisque no-bilibus attribuuntur. Galeis & coronis affinis est *Pileus Electoralis*, der *Thur*: *Hut* / purpureus, or-natusque vellere pontico. Vid. Fig. X. Cui vix absimilis est *Archiducum*, *Ducumque pileus* Vid.

D 4

Fig.

Fig. XI. Reliquas inter præprimis discernitur, forma præter ordinem facta, Ducas Veneti corona, aut, ut patro illorum more loquar, Cornu, *il corno del Doge.* Vid. Fig. XII.

Nec Principibus Ecclesiæ viris suæ desunt coronae. Pontificis Summi in terris Christi Vicarii scuto incumbit triplex; Vid. Fig. XIII. contra vero Cardinales, ut ajunt, pileo *rubro*, Archi-Episcopi & Episcopi, *viridi*, Abbates *nigro* sua tegunt insignia, quorum primi in *quinque*, secundi in *qua-tuor*, tertii in *tres*, ultimi in *duos* nodulos de jure desinunt. Vid. Fig. XIV.

VII. Galeæ incumbit Apex, cuius nomine id omne, quod ex galea prominet, comprehenditur; vulgo, *Cimelia*, *Helm* / *Zeigen* / *Helm* / *Klein nob.* Frequentissima in his sunt cornua *Cervina*, *Arietina*, *Bubula*, *Püsels* / *Hörner*; Vid. Fig. I. extremitatibus quando repandis; *Proboscides* elephanticorum, *Alæ*, *Plumæ*, & *Struthionis*, & *Pavonis* non nunquam thecis insertæ, in einen *Schaft*. Vid. Fig. IV. *Hermae*, membra humana *Caput*, *Brachia*, *Crura*, *Montes*, *Columnæ*, *Vexilla*, &c. Tinctura *Apicis* eadem est, quæ scuti; Sin vero diversæ apparent, id aliquando indicio esse potest, Apicem esse adscititium. Sæpe tamen nativus color figuris in Apice tribuitur, licet alius & diversus in parma deprehendatur.

Postremo te monitum volumus, *coronas tortiles*, & *cuclitras*, *Wülf* / *Erânge* / quarum extremæ oræ non raro lemniscis, & panniculis exornantur, & mediæ galeam inter & apicem conspicuntur.

Vid.

Vid. Fig. VI. & VII. non ad artis leges , sed  
ornatus gratia inventas esse , & adjectas.

**S**Cuta virum, clypeosque metro, dedimusque colores,  
Vimque figurarum; nunc ornamenta, decusque,  
Insignes galeis clypeos, & casside dicam,  
Quoque, dabo, cassis tegitur, quo vertice surgit,  
Et, queis cinguntur vicitria tempora, lauros.      5

Ufus erat Geticum mentitus imagine numen,  
Et sacer antiquis, quo gens induita leonum  
Exuvias, vultu Martem spirabat & armis;  
Ast nostra antiquas ritus exosa, modosque,  
Ætas usurpat galeas, has scribere mens est,      10  
Quæ species, tinctura, situs, numerusque superbis  
Incumbat clypeis. Aut clauso, aut cassis aperto  
Evomit ore minas: lasso si cassis hiatu  
Panditur, illustris trabeatae est gloria gentis;  
Ast ubi pertusis incumbit pervia scuto      15  
Cancellis, hunc patriis majoribus ortum  
Nobilitas gavisa tulit; tunc sanguine natum  
Dixeris obscuro, clypeos ubi clausa coronat.

Fulvo

7 Quo gens induita leonum  
exuvias. ) De quo stat.  
Theb. VII. v. 276,

Tela rudes trunci, galea va-  
cua ora leonum.

Nec leonum modo, sed alia-  
rum ferarum exuvias ute-  
bantur teste Virg. L. XI.  
v. 678.

Caput ingens, oris batus.  
Et male rexere lupi cum de-  
tibus albis. Vid. Fig. III.  
Tab. I.

13 Lasso si cassis batus pandi-  
tur. ) Vid. Fig. V. Tab. V.

15 Ast ubi pertusis incumbit per-  
via scutis. ) Vid. Fig. VI.

17 Tunc sanguine natum dice-  
ris obscuro, Vid. Fig. VII.

D 5

Fulvo, ni placeant, quibus inclyta scuta, metallo  
 Ars Galeas ornasse jubet. Componere quamvis 20  
 Lex clypeis apices vetet antiquissima plures,  
 Mos tamen invaluit prisco contrarius ævo,  
 Illustresque suas peregrino sanguine parmas  
 Gens, & adoptata claras sibi casside gaudet.

Est situs aut rectus, vel curvo pondere cassis 25  
 In latus inclinata jacet; sin illa sinistrum  
 Respicit, hunc (errant) incerto patre creatum  
 Ignotisque volunt Galli natalibus ortum.

Unaque multiplici si casside scuta premuntur,  
 Extremæ adversa (lepor est) sibi fronte locantur, 30  
 Quæ media has inter, stat recta situque, locoque.

Quæ galeas, galeæque decus comitantur, & ornant  
 Decantare placet, quas sæcula prisca coronas,  
 Et quas nostra ferant. Romanæ est gloria gentis  
 Laurea, Vallaris, Cupressina, Quercea, Ovalis 35  
 Myrtea; quamque triumphato tulit æquore viator,  
 Classica, Muralis; quibus addes Gramine textam.

Nostra tamen præstat priscis insignior ætas;  
 Cæsaris est duplex, uno diademate gaudent

Reges;

34 Cæsaris est duplex.) Super-  
 rius diximus. Vid. Fig. VIII.  
 & IX.

Corona Cæsarum olim erat  
 triplex; prima, qua coro-  
 natus est Imperator Aquis-  
 grani ab Archi - Episcopo  
 Colonensi, eaque est au-  
 gea; altera, quam Archi-  
 Episcopus Mediolanensis im-

posuit in villa Modicensi,  
 itidem aurea; Tertia denuo  
 aurea qua Romanus Ponti-  
 flex Cæarem insignivit in  
 templo S. Petri; falsum  
 proinde est assertum Bar-  
 thol. Chassanæ, in Catal.  
 gloria Mundi, primam suis-  
 se ferream, alteram argen-  
 team, auream tertiam, qui  
 etiam

Reges; ast varii vario; Princepsque galero

40

Elector, cuius vestit mus ponticus oras.

Pileus Archi-Duces, eadem quem vellera cingunt,

Spectat, diversusque Duces, Comitesque manebit.

Has inter curvo distinguitur Adria cornu.

Pontificum triplex incumbit clavibus ordo,

45

Ordo coronarum; Præsul, sacrique Senatus

Prin-

etiam, nescio, quo som-  
nio deceptus Regem Gallia-  
rum, etiam nostra ætate,  
Romanorum Imperatorem  
esse audacter assertit; qui si  
foret, modestius forsitan de  
Imperatoria dignitate scri-  
pisset. Verius de coronis  
Hier. Balbus in Libello de  
Coronat. ad Carolum V.  
At in Germania perinde ut  
Roma corona anyea Impe-  
ratorem infigunt, illa sci-  
licet, qua Carolus Magnus  
primo usus est, ipse ego cer-  
tissimus sum testis. Anti-  
quior autem Hieronymo  
Balbo Æneas Silvius in  
Lib. IV. Hist. Austrialis  
hujus rei fidem facit: Has  
autem coronas omnes au-  
reas esse competitum habeo,  
quamvis per medium cir-  
culum corone Mediolanen-  
sis lamina quedam parvula  
ex ferro ducatur, que sucta  
interpretationi efficit locum;  
quippe Daniel Prophetæ qua-  
tuor orbis Regna majora de-  
scribens, ultimum, quod no-  
stru Romanum esse volunt.  
ferro comparavis, quoniam

sicut ferrum omnia Metalla  
commixuit, sic omnia re-  
gna Romanum Imperium  
detribuit. Unde patet, cur  
Mediolanensis etiam ferrea  
dicatur. Vid. Ludov. An-  
tonium Muratorium in A-  
necdoto, quæ ex Ambro-  
sianæ Bibliothecæ Codici-  
bus, &c. Tom II. De  
Coron. Ferrea. C. I. & seqq.  
40 Princeps galero Elector.) Vid.  
Fig. X.

42 Pileus Archi-Duces.) Vid.  
Fig. XI.

44 Has inter curvo distinguitur.  
Adria cornu.) Vid. Fig. XII.

45 Pontificum triplex.) Bo-  
nifacius, nimirum VIII.  
duplicis coronamenti Tia-  
ra usus est; Superiores  
Pontifices unius, ut ex Su-  
gerio Abbate constat, & pri-  
scæ Pontificum imagines in-  
dicant. Urbanus V. omo-  
niuum primus triplici coro-  
namento tiaram suam or-  
nari voluit, Alemanno te-  
ste, vaticanae bibliothecæ  
olim custode. C. 13. Dissert.  
Hist. de Pariet. Lateranen.  
Vide Ciacconium Tom. 2.  
Fol.

Princeps purpureum scuto, rubeisque galerum  
 Adjungit nodis; viridem sed Episcopus; Abbas  
 Nigrantem, hique onerant sacris sua scuta tiaris.

Claudit Apex galeas, elephantorumque proboscis,  
 Cervinumque bovisque decus; quas exuit alas  
 Struthio cristatas; oculos quos pavo reliquit  
 Insertos thecis; rupes, castella, columnæ,  
 Flammaque, vexillum, cuspis, mons, turris, & hermæ,  
 Sætæque brutorum, aut hominum de corpore membra  
 Brachia, crura, caput. Proprio hæc sint tincta Colore,  
 Ars jubet, aut saltem, quo scuta, notentur eodem.

Sique vides apices inter, galeasque locari  
 Lemniscis pannisque graves, textasque coronas

Aut

Fol. 305. Col. 1. Lit. A. Eod. vero Tomo, Fol. 1081.  
 Col. 1. Litera C. refert Card. Ægidii Viterbiensis verba de Paulo II. quo imperante triplex illa corona, Regnum Mundi, adpellatum est, verba sunt:  
*Vocari cæpta est maxima illa Mitra, Regnum Mundi; quam Paulus sublimi vestigio surgentem, regna-- pretio superantem primus reddidit; primus lectissimum gemmarum, toto orbe quasitarum luce exornavit ambitum trium coronarum; quarum usus ex arcanis agnosciri solum potest.* Hactenus Ciacconius ex P. Ægidio Viterbiensi. V. Fig. XIII.

47 Princeps purpureum.) Pileos rubros in Concilio Lugdunensi tribuit Innocentius Anno 1245., ut Cardinales semper parati sint ad sanguinem pro Ecclesia Christi profundendum. Chordas cum nodulis Papa Paulus II. addidit, initio quidem pauciores; aet cum tempore eorum numerus crevit. Vid. Fig. XIV.

49 Hique onerant sacris sua scuta tiaris. Vid. Fig. II. & III.

51 Cervinumque, bovisque decus.) Vid. Fig. I.  
 53 Insertos thecis.) Vid. Fig. IV.  
 58 Sique vides apices inter, galeasque locari.) Vid. Fig. VI. & VII.

Aut sustentet onus si culcitra nobile, nostris 60

Non credas (scuti lepor est) hunc legibus usum;

Sæpius est major confictis gratia rebus.

## C A P U T V.

D E

### SCUTORUM DISCERNICULIS,

E T

### FIGURIS LOQUENTIBUS.

**D**iscernuntur scuta quibusdam notis, quæ armis gentiliis in gratiam quorundam ejusdem Familiae membrorum eum in finem sunt adiectæ, ut per eas posteri & juniores, vel etiam appanagiati, ut ajunt, à primogenitis & senioribus, vel linea à linea, aut naturalis à legitimo, fascinorosus ab honesto distinguantur: inde in honestas & ignominiosas recte dividuntur; Germanice, Brüche / Benzeichen; inde scuta nomen traxere, die gebrochene Wappen. Discernes autem scuta quatuor modis, Additione, Omissione, Alternatione figurarum & Variatione colorum.

I. *Additione*, si armis nota aliqua vel ex honorabilibus E. G. Baltheus dexter, quadrans honorarius, Cantherius, Fascia, &c., vel ex Vulgaribus Semiluna, Rosa, Stella, &c. Superadditur. Hinc Regula nascitur: *qui pauciora gestat, potior est*, qui nimirum scuta duntaxat gentilitia gestat, ille primogenitus habetur.

II. *Omis-*

II. *Omissione*, si familia descendens & inferior aliquod ex iis, quibus primogenita gloriatur, vel plane non habet, aut habet quidem, sed orname-  
ntamento aliquo privatum, v. g. leonem absque corona. Sic Aquilam uno solum capite Rex Romanorum gestat, non bicipitem.

III. *Alternatione*, si ipsæ scuti figuræ mutan-  
tur, aliaque pro aliis, v. g. Baltheus tessellatus  
pro plano, ponitur.

IV. *Variatione*, cum servatis figuris iisdem so-  
li colores immutantur, more olim apud Belgas  
recepto, & hodie dum Germanis nostris non  
improbato.

V. *Distinctius de scutis ignominiosis*. Spurios  
quod attinet, videbis aliquando eorundem scutis  
*baltheum Diagonalem sinistrum* inductum, quia è  
sinistro quasi matrimonio sunt nati, quamvis de  
omni sinistro baltheo idem judicium ferendum  
non esse jam monuerimus; aliquando ex paternis  
insignibus digma aliquod *dimidiatum*, vel alia ra-  
tione *mutatum* nothis conceditur; aliquando pa-  
ternis *stella*, spurii ortus nota, superadditur. Urbi-  
bus facinoris in memoriam commissi facinoris  
ignominiosi digmatis additione scutum augebitur.  
Exempla pariunt odium.

VI. De scutis loquentibus pauca restant, ab-  
solvam paucis. Scuta *loquentia* ea compellamus,  
quæ cum Nomine familiæ conveniunt, interdum  
manifestius, quandoque obscurius; redende *Name*  
*Wappen*; eaque sunt ejusdem cum aliis dignita-  
tē; nostro enim adhuc ævo illustres omnino fa-  
miliæ iisdem utuntur, quamvis nonnulli plebi ea  
solum.

solummodo concedere velint. Tribus autem modis id contingere solet; primo, quando figuræ gentis nomen *clare loquuntur*, & quidem vel *sola tinctura* v. g. *color niger* in scuto D. D. Schwarzenberg. Vid. Fig. XV. Tab. V. vel *sola figura*, v. g. *anguilla* in scuto civitatis *Aalen*. Vid. Fig. XVI. Vei utroque v. g. in scuto Comitum Weissenwolff, *Lupus albus*. Vid. Fig. XVII. Secundo, quando insignia *occulte symbolice vel enigmatische*, nomen gentis præferunt ob symbolum qualitatis sub nomine latentis, v. g. *Rhombus* in scuto Comitum Graffenegg. Vid. Fig. XVIII. Tertio, quando insignia erronee prouersus nomen familie alicujus proloquuntur, errori ansam suppeditante etymologia perperam intellecta, quale quid contigit inter alia cum insignibus urbis Bavariae Landeshuto, *pileos* exhibentibus, cum tamen à *specula* seu excelsa turri, *von der Landes-Hute* oder *Warte* / id nominis ea adepta fuerit.

**N**unc nota certa placet gentilibus addita scutis;  
A sene qua juvenem, qua natum à sternate stemma,  
Qua nothum ab ingenuo distinguas sanguine partum,  
Explicuisse juvat, Clypeo nunc deme, vel adde,  
Nunc signum alterna; primaque superstite forma 5  
Patria mutato tingantur scuta colore;  
Legitimos lex ista tenet: Satus ille sinistro  
Dicitur esse toro, patriis si forte sinister,  
Et diagonalis si incumbat baltheus armis;  
Si medium, truncumve patris de digate signum 10

Cer-

64 DE SCUTOR. DISCERN., ET FIG. LOQUENTIBUS.

Cernitur, aut scutis superaddita stella paternis,  
Non sacris exisse toris, sed, crede, profanis.  
Æquivocis breviter quæ sit vis, exequar, armis.  
Muta placent aliis, sed scuta loquentia paucis,  
Dignaque plebe putant; ast hos gravis abstulit error, 15  
Usus enim primo, nostroque est maximus ævo.  
Est genus hoc triplex: modo scuta loquuntur aperte  
Et gentis, nomenque domus; modo symbola stirpem,  
Occultasque diu gentes ænigma revelat;  
Sæpius ignotis dat nomina fabula scutis. 20

17 Modo scuta loquuntur aper- 19 Occultasque diu. ) Vid. Fig.  
te, ) Vid. Tab. V. Fig. XV. || XVIII.  
XVI. XVII.

C A P U T VI.  
DE  
TEGUMENTIS GALEARUM,  
ET IIS,  
QUÆ SCUTO ADJACENT.

I.

Te<sup>gumentorum</sup> nomine venit omne illud, quo  
cassis circumdata conspicitur, Gall. cham-  
perons. Die Helm s. Decken / Dicitur etiam pallium,  
quali tegumento olim milites, vel Frigoris arcen-  
di, vel discriminis ergo in conflictu usos verisimile  
videtur. Vid. Fig. XVII. Tab. V. Lacera vero cur-  
sint, est causa in promptu: Ex conflictu enim re-  
ferebant milites, quæ tali forma, tanquam forti-  
tudinis

tudinis & periculorum bellicorum indice, in scutis sine elegantia à priscis sunt expressa. Accessit cum tempore Pictorum inconsulta temeritas, aut ignorantia, quæ istas virtutis bellicæ notas in ornamenta, & in, nescio, quos lemniscos, vittas, & phaleras convertit. Vid. Fig. XVIII. Imo recentiore instituto Reges insignia conopeis, *avec pavillons*, mit Thron-Zeiten / Duces vero ac Principes nonnulli cum palliis ducalibus coope-riunt. Vid. Fig. XIX.

II. De *Tincturis tegumentorum* hanc regulam accipe: *Tincturas scuti in iis repetuntur, interiora tamen metallo exteriora colore tingantur.* Fallit autem nostra ætate, cum laciniae nonnunquam solo metallo, & à scuto plane diverso; nonnunquam pluribus, aut paucioribus, quin aliquando prorsus aliis, ac scutum habet, coloribus, commu-  
niter duobus saltē tinctæ appareant.

Ea, quæ extra scutum & galeam posita, scu-  
tum quandoque circumstant, nec nisi in paucissi-  
mis apud nos insignibus reperiuntur, sunt *Tela-  
mones, Dignitatum & Ordinum notæ, Lemmata, &  
Tesseræ militares.*

III. *Telamones*, alias *Atlantes*, *Tenentes* dicti, adpeilantur illi, qui ad elypei latus positi eundem gelbare, aut custodire videntur, die *Schild-Hala-  
ter*; sunt autem *Homines, Satyri, Leones, Gryphes,  
Angeli, Grues, Monocerotes, Ursi*; si vero ejusmo-  
di res, *non vivæ*, adjiciuntur, easdem *fulcra no-  
minari* placuit. Vid. Fig. XX. Originem Tela-  
monum nonnulli referunt ad Caroli Magni tem-  
pora; Alii ad Iudos equestres, voluntque servos

E

tali

tali sub habitu Dominis scuta prætulisse; illi, meo judicio, proprius accedunt, qui eos certæ possessionis (v. g. vasti nemoris *homines sylvestres*) vel virtutis (v. g. *fortitudinis leones*) symbola agnoscunt. Aliquando etiam videris Telamones vexilla gestantes.

IV. Notæ dignitatum & ordinum sunt variæ. Pontificis scuta, *Clavibus decussatis*, insignia conspicies Vid. Fig. XIII. Episcoporum vero, *Cruce, Pedo, den Hirten, Stab* / Vid. Fig. II. Tab. V. &, si jurisdictione profana gaudent, insuper *ense* Vid. Fig. III. ibid. In Galliis primorum Ministrorum scuta variis notis discernuntur. Aulæ Mareschallus, ut ajunt, suo clypeo duos substernit *scipiones*; Summus rei tormentariæ Præfectus adjungit duo *tormenta*; Supremus bellī-dux duos *enses*; duo *labara* equestris Legionis Dux, pedestris vero duo *vexilla*; Supremus classis Præfectus *anchoras* duas. De Torquibus equestrium ordinum hic dicere non vacat.

V. Interdum *lemmata epigraphica* scuto exteriori adjiciuntur, & quidem vel *nudis literis*, vel *integriss vocibus*, ac *sententiis* constantia, quæ vel superius, vel inferius scutis gentilitiis adjiciuntur; uti videre est in Regis Angliæ scuto, *Honi soit, qui mal y pense*, & ad pedem: *Dieu & mon Droit*. In Gallico vero; *Mont Joye St. Denys*.

*Tesseræ* militares sunt *Symbola*, die *Lössung* / quorum in bello usus est notissimus. Talium exempla qui velit, consulat Spenerum. *De Oper. Herald.* P. I. c. 7. n. 69. & seqq.

Queis

**Q**ueis galeas, scutumque tegunt, nunc pallia restat  
Dicere; quæque suis, inimico saucia ferro,  
Incumbunt clypeis. Invicti testis, & index  
Pallia sunt animi, chlamydes quas miles ab hoste,  
Discissasque tulit lacerato corpore vestes. 5

Ast inconsultus ( cur ? nescio, ) Pictor amictum  
Militis, atque togas illustri vulnera scissas  
In vittas stulto finxit, phalerasque colore;  
Lex antiqua ruit. Multorum insignia Regum  
Sæpe coronato stant integra Conopeo, 10  
Aut galcas, clypeique caput, peltasque ducales,  
Vellera sæpe ducum (nam mos vetus exulat, ) ornant.

Lex quamvis chlamydum jubet exteriora colore,  
Et jubet ornari licet interiora metallo.  
Fallitur hæc nostro sed regula sæpius ævo. 15

Custodes clypei vivos Telamona vocari,  
Aut placet Atlantes; non vivos Fulcra. Priores  
Inter sunt Homines, Satyri, Leo, Gryphes, & Ursi,  
Angelus; adde Grues; Gruibus Mono junge cerotes.  
Altera pars tegitur fertis, foliumque parergis; 20  
A ludo ( multos deceperat error ) equestris  
Hunc morem fluxisse ferunt; est verior illis,  
Qui gentis fore certa volunt hæc symbola, sensus.

## Mitra

4 Pallia sunt animi. ) Vid. 8 10 Sæpe coronato. ) Vid. Fig.  
Fig. XVII. XIX.

6 Ast inconsultus. ) Vid. Fig. 16 Custodes clypei. ) Vid. Fig.  
XVIII. XX.

68 DE TEGUM. GAL., ET IIS, QUÆ SCUTO ADJAC.

Mitra triplex summum produnt, positæque decussim  
Claves Pontificem; rubeusque à Cardine dictos      25  
Pileus; inferior clypeum mitraque pedoque  
Insignem ostentat Præsul, quibus additur ensis,  
Si non sacra sacris fit juncta potentia rebus.


Gallia, quid mirare? parens fœcunda novorum  
Primorum adjectis distinxit scuta virorum      30  
Signis. Quem primum ante alios dedit aula Ministrum,  
Scuta decussatus comitatur scipio; Summi  
Præfeti clypeis, tormentorumque Magistri  
Virtutis testes adstant duo fulmina belli;  
Supremoque duci duplex substernitur ensis;      35  
Labbara, si minor, aut turmæ dux præsit equestris;  
At contra sunt bina duci vexilla pedestri;  
Anchora bina, maris qui summum primus in undis  
Obtinet imperium, atque suo domat æquora fastu.

Sæpius (Hesperidæ placuit, placuitque Britanno) 40  
Integra vox clypeos, aut litera nuda venustat;  
Illustratque novas quoque bellica tessera gentes.

PARS

24 Mitra triplex summum. ) 26 Inferior clypeum mitraque,  
Vid. Fig. XIII. Tab. V.      27 pedoque.) V. Fig. II. Tab. V.  
25 Rubeusque à Cardine dictos      28 Si non sacra sacris.) Vid.  
Pileus.) Vid. Fig. XIV.      Fig. III. ibid.





## P A R S III. A N A T O M I A

S E U

### R E S O L U T I O Q U O R U N D A M S C U T O R U M G E N T I L I T I O R U M .

#### C A P U T I.

##### R E S O L U T I O S C U T I D O M U S H A B S B U R G I C Æ .

**Q**UAMVIS EA , ad quæ explicanda nunc de-  
scendimus , ad artem scutariam haud  
pertineant , ne tamen in resolvendis scu-  
tis difficultas quædam oriatur , hæc adjicienda du-  
ximus . Primum quidem de scutis simplicibus , de  
Habsburgico nimirum ; dein de Austriaco ve-  
teri , & novo ; Facilioribus defuncti dabimus Scu-  
tum Cæsareum , ut inde initium sumamus , ubi  
omnis Imperii Majestas totum pene universum suis  
radiis collustrat .

Diversa diversis in scutorum resolutione placuit  
methodus . Nos eodem , quo parte secunda

E 3

scripsi-

scripsimus, ordine procedemus. Primo, quæ species, & *forma* scuti; deinde quæ *sectio*, aut, si nulla, indicabimus; mox quæ *tinctura* clypei, & qua ille *figura* sit insignis; Postremo, *Galeam*, *Coronas*, *Apicem*, *Tegumenta* paucis explicabimus, simulque rationem, quæ in cæteris quibuscumque Regum, Ducum, Principum, Comitum scutis via sit tenenda, commonstrabimus.

I. Scutum antiquissimæ Domus Habsburgicæ inferius non in cuspidem desinit, sed *semi-circulo* clauditur. II. Estque scutum *simplex* nulla sectiōne distinctum in areas. III. Color est *aureus* ut qui nobilissimus; IV. Figura & imago scuti est *Leo ruber* cum corona *cœrulea*; cum enim Sigeberti ( à quo juxta calculum Jacobi Fuggeri in speculo Honoris Domus Austriacæ L. I. C. III. An. 630. Comites Habsburgici descendere dicuntur ) Sueviæ, seu Alemanniæ Ducas nepotes, ejusdem inter se provincias dividerent, & alii Sueviam, Alsatiam alii possiderent; Comites Habsburgici, seu Avendi Castræ, *Habentums burg* / *Habenßburg* / *Habsburg* / Otbertus I. & Babo scuto suo gentilitio inferuerunt leonem unum ex Suevico scuto, quem etiam corona *cœrulea* decorarunt ex insigni Austrasiæ, & Alsatia, indicio luculento: Domum Habsburgicam originem suam trahere ex sanguine Ducum Sueviæ & Regum Austrasiæ. Dixi ex *insigni Austrasiæ* & *Alsatia*, quæ in suo scuto, ut Lazius L. I. clare probat, sex coronas habuerat. V. Galea est *clathrata*, aurei coloris, cui VI. incumbit apex, itidem *Leo* ejusdem cum scuti figura coloris, *Corona* immersus, cui à tergo pro-

prominent quinque *Pavonis* plumæ. Vid. Tab. VI. Quamvis , uti videre est apud cit. Fuggerum , L. I. C. IV. Fol. 25. non semper idem scuti sit apex ; nonnulli enim Comitum gerebant in Casside colla *Cygnorum* bina , quorum uterque in rostro aperto gerebat annulum , felicissimo quasi omne , Domum nempe Habsburgicam subinde Illustrissimarum familiarum connubio augendam esse. Hactenus de Habsburgico.

**H**æc tibi de scuto paucis præcepta dedisse Sufficiat. Sit lege licet via longa , sed usu Et brevis exemplo est. Labor improbus omnia vincat , Non nego ; sed damno cur non ignota scienti Regula sæpe fuit ? causam dabo : defuit usus. 5  
Est labyrintheo , filo duce , liber ab astu Theseus. Rixantes non est tibi . Navita , ventos Nosse satis , sis assiduo nisi doctus ab usu. Noris frangendi multas licet æquoris artes Nauta , tamen rapidis mergeris naufragus undis , 10 Exemplo contra vinces , usuque Magistro .  
Tradidimus leges : ast nunc dabo legibus usum. Habsburg Carmen erit ; quinis mox carmen alaudis Austria ; erit rubris mox candida fascia campis. 15 Cæsareæ nostrum sit carmen & armiger iræ , Fulmineaque siet grave Majestate Tonantis .  
Jactat Avendano gens sanguine nata Leonem Cæru-

17 Jactat Avendano gens san- Tab. VI. Cernes, una cum ha-  
guine nata Leonens.) Vid. 4 bitu equestris , Gentilium do-

72 ANATOMIA SCUTORUM GENTILITIORUM.

Cæruleo rubeum campo, & diademate cinctum;  
 Alsata pars scuti est, scuti est pars altera Suevus;  
 Addidit iste jubas, auream dedit ille coronam 20  
 Gentis Avendanae. Non scinditur area campis,  
 Non acuit clypeum cuspis, quem circulus ambit,  
 Atque senescentis morientia cornua Phœbes  
 Clausa refert; tegiturque gravi mox casside scutum  
 Distincta clathris, flavo quæ tincta colore, 25  
 Atque coronati media sit pressa Leonis  
 Mole; cui quinis illustria tergora pennis,  
 Et famiis variata placent, ceu nubibus arcus  
 Mille trahit varios immerso sole colores.  
 Sæpe tamen clypeo placuisse videtur Avendi 30  
 Alter apex, Majestatis præsaga futuræ  
 Colla Cygni, patulo queis pendulus annulus ori est,  
 Vaticinata novis duo sunt connubia regnis;  
 Bella gerant ali, tu felix Austria nube,

CA-

domus Habsburgicæ scutum A  
 in hac statua, quam Argent-  
 oratenſes Romanos imitati  
 posuerunt Rudolpho I. De-  
 in Imperatori cum inscri-  
 ptione: RVDOLPHO. VI-  
 CTORI QSO. COMITI. IN.  
 HABSBURG. S.P.Q ARG.  
 PRAEFFECTO. STRENOVO.  
 STATVAM. HANC. E-  
 QVESTR. PP. MCCLXVI.  
 Adjecerunt nomen VICTO-  
 RIOSI ob multas, & va-  
 rias relatas ab hoste victo-

rias, præcipue, quod Ar-  
 gentoratenſes contra eorundem  
 Episcopum Waldhern  
 bona patriæ diripientem  
 strenue defendebit. Vid, Fug-  
 gerum de domo Habsb. L. I.  
 C. VII., & Laziūm in Ru-  
 dolpho Imperat.

21 Gentis Avendanae.) Domus  
 nimirum Habsburgicæ, quæ  
 olim castrum Avendi dice-  
 batur, Germanice, Habens  
 thumsburg.

## C A P U T I I.

RESOLUTIO SCUTI AUSTRIA-  
CI VETERIS , ET NOVI.

## I.

Duplex est Austriæ scutum gentilitium. Primum nobis erit sermo de veteri, dein de novo. I. Forma scuti in *Cuspidem* definit, II. Area sine ulla *sectione*, & simplex. III. Campus tingitur colore Cæruleo. IV. Figura sunt *Quinque Alaudæ auro tinctæ*. Hujus rationem referunt nonnulli ad regionem ejusmodi avium feracissimam. Ast quid Serenissimæ olim Domui cum terræ fertilitate ? Hæcne Principum gloria ? non automo. Verius illi , qui à Legione *Alauda* , quam Julius Cæsar teste Svetonio in transalpinis provinciis scribi jussérat , Austriacos scutum , ejusdemque figuram accepisse arbitrantur ; *Legionem ex transalpinis conscriptam* , *vocabulo quoque Gallico ( Alauda enim adpellabatur ) quam disciplina , cultuque Romano institutam & ornatam postea universam civitate donavit*. Suet. in D. Jul. Cæs. Cujus etiam meminit Cicero, Philip 1. 8. *Addo etiam judices ex legione Alaudarum*. Ast hic difficultas , qui Austriaci à Legione X. , seu *Alauda* ( quam Fuggerus etiam a Flaviano Præside Flavianam dici contendit , unde etiam *Vienna* , à *Viana* nomen duceret , certe sine fundamento ) nomen sint adepti ? Non nego milites seu alaudas in scutis pictas habuisse , seu in galeis earundem plumas ge-

E 5

stasse;

stasse, ob similitudinem alaudaram *galeritarum*, eodem fere modo, quo Cares olim Galli gallinacei sunt vocitati, ut scribit Plutarchus in Arta-xerxe. Sed unde Alauda in scuto Austriaco? Dissentio aliorum rationibus, ego verò sic existimo, & ad rem, arbitror; Legionem *Alaudam* ex trans-alpinis, ut Svetonius testatur, populis scriptam fuisse; forsan in Pannonia Superiori? quam subinde Cæsar vocabulo gallico sibi familiari *Alaudam* compellavit, uti & milites ipsos *Alaudas*; nec dubium: Cæsarem enim in Illyrico fuisse constat, ex Dione Cassio Lib. XXXVIII. *Nam Plebs quidem Cæsari Illyricum, Galliamque Cisalpinam decrevit.* In Illyrico autem comprehensam fuisse Pannoniam, & omnes Provincias Italiā inter & Danubium ab ejusdem scaturagine sitas usque ad Pontum Euxinum, clare notat Cluverius, & Cellarius Not. orb. ant. L. II. C. VIII. Quid si Cæsar integrum *Alaudarum* legionem hic scripsisset? nec abs re. Sed unde Gallicum vocabulum? non moror. Audi Philippum Cluverium Lib. I. de Hispania veteri C. 5. & L. II. de Gallia antiqua C. 13. dicit ille; *Britannos, Illyricos, Hispanos Celatarum seu Gallorum nomine comprehensos, & communī celtica lingua usos esse, dialectis tantummodo distincta:* ergo Austriaci sunt Pannones, Pannones Illyrici, Illyrici sunt Celtæ seu Galli. Habes proinde & probabilius Legionem X. seu Alaudam in Pannonia Superiori lectam, habes Austria-corum scutum gentilitem, quid amplius? Ast Concedam ultro Legionem X. non fuisse Lectam in Pannonia, sed in Gallia transalpina, firma tamen

men stabit etiamnum opinio; Legio enim decima non emollita delitiis, sed laboribus innutrita, famis, sitis, frigoris & incommodorum patientissima ( adeo ut Cæsar de illa dixerit : *contentus ego decima legione, quam scio per ignem etiam, si ita necessitas postulet, nudam ituram.* ) contra Mœsos, Marcomannos, Dacos, &c. in Pannonia Superiori teste Dione Cassio Lib. LV. *Decima gemella in Pannonia superiori* & quidem Vindobonæ teste Cellario Lib. II. C. VIII. secl. I. n. 9. stationem fixerat. Præterea nullum est dubium multos horum fuisse ex Pannonia Superiori lectissimos, qua de causa etiam Cæsaribus M. Aurelio, qui Anno 180. teste Sexto Aurelio victore Vindobonæ mortem obiit, præfertim Trajano fuere carissimi, ut vel inde Figuram scuti desumere potuerint. Sed, quantum temporis intervallum à M. Aurelio ad Austriorum tempora! quanta Principum, Regiminis, temporum mutatio & diversitas! fateor: Scrupulus hic non exiguus, quem mihi Vir eruditus, cui hac in scientia, & antiquitatis notitia defero plurimum, nuper injecerat, à via vix non revocavit; unum tamen est, quod fluctuantem firmavit: Etenim non video, cur Pannones a Legione *Alanda*, teste ipso Cæsare, milite fidissimo æque ac fortissimo, hoc gloriae signum ad Austriorum usque ætatem conservare non potuerint, cum hic idem populus Romanæ virtutis non æmulus modo, sed & exemplum fuerit, adeo ut Cl. Martinus in Panegyrico Maximiani Herculei Imperatoris C. 2. diceret: *Quis enim dubitat, quin multis jam saeculis, ex quo vires illius, Pannoniae nimis*

nimirum, ad Romanum nomen acceſſerint, Italia quidem fit gentium Domina gloriæ vetustate, sed Pannonia virtute? Legio certe Hispaniæ Provincia, quæ nomen à Legione VII. ibidem stationem habente fortita est, fidem faciente Vatæo, nomenclaturam per irruentes Vandulos, Mauros, Saracenos non amisit, Vide Carol. Stephan in Diſt. Hiftor. & cur Pannones Alaudam deferuerint? Sic hodie videmus antiquo etiam nomine vocari Augustam Vindelicorum, Coloniam Agrippinam, aliasque civitates quamplurimas, quas adhuc venerandæ antiquitatis reliquias pene obſtupescimus; & Austriae hoc negabimus in suis Alaudis? V. Huic ſcuto in cumbit galea clathrata. VI. Galeæ vero corona, quam Fridericus I. Anno 1156. Henrico II. Leopoldi IV. Filio Austriae Duci concesſit. VII. Coronæ immersa est apicis loco Alauda aurea ex panſis alis, eademque coronata. VIII. Tegumentum fuit Phaleræ. Vid. Fig. III. Tab. VII.

II. Forma ſcuti Austriae novi cum antiqua eſt eadem; Sectio nulla, eadem galea, eadem corona, tegumentum idem; Color tamen diverſus, diverſa figura, apex diverſus. I. Color campi eſt ruber. II. Figura eſt fascia alba. III. Apex ſunt Pennæ Pavonis coronæ insertæ. De figura varie ſentient varii. Sunt, qui dicant fasciam albam (& hæc eft vulgaris opinio, nec nos diſcedimus) originem ſuam debere Leopoldo VI. virtuofo cognomine. Hic, cum veste alba ornatus in ex pugnatione Ptolomaidis in Palæſtina Anno 1191. ſeſe militum ſanguine conſperſum intueretur, ſolo ſpatio albo, quo baltheus medium hominem cinge-

cingebat, relicto, dicitur ab Henrico VI. Imperatore *fasciam albam in Campo rubro obtinuisse*; Idem sentit Aventinus vir antiquitatis indagator diligentissimus, qui se in Monasterio Bojoariæ Richobergamo invenisse hanc expeditionis Asiaticæ descriptionem testatur. Sunt tamen & alii (nec horum sententia displicet, & ratione firmatur) *fasciam albam defumptam esse ab ipso loco*. Austria enim media secatur à Danubio fluvio, cuius hanc fasciam volunt esse imaginem. Vide Cuspinianum in Austria in Leopoldo VI. Nec sine causa: Austriam quippe Pannoniæ partem fuisse demonstravimus; Pannonia vero in suo gentilitio scuto præter reliquas figuræ in campo rubro quatuor habet fascias albas propter quatuor fluvios, ut inferius dicemus. Cur Austria non unam in suo ob eandem rationem? cum & ipsa fuerit Pannoniæ pars, & ex legibus Heraldicis, ut videre est Part. II. Cap. V. fol. 62. provinciæ ad idem regnum pertinentes partem scuti Principis in suos clypeos transferant. Quid tu adhæc? num quid clarius? Vid. Fig. IV. Tab. VII.

**A**ustriacæ mens est nunc promere gentis Alaudas,  
Divinosque viros, Superum de stirpe creatos.  
Unde genus? quæ terra viris? quis defluat ordo  
Sanguinis Augusti? cessit cui Jupiter æqua  
Parte poli; & genuisse datum est cui numina cœlo, 5  
Hæc terris licuit, diviso jure, dedisse  
Austriadum genti. Poterit domus Austria mundum  
Sola satifcentem, fello Jove, sustentare,

Atque

Atque humeros collapsuro substernere cœlo.  
 Phœbus, ab hac sumpto sibi lumine, gaudet utrumque **10**  
 Illuſtrasse polum, & radiantem crinibus arcum,  
 Frontis & Austriacæ decus, & sibi lumen adoptat.  
 Sanguine plena tuo sunt terra, polusque, tuæque  
 Austria, Majestate domus absolvitur orbis.  
 Unus non satis est CAROLO, sed CAROLUS uni **15**  
 Sufficiet mundo; magno stat major in orbe,  
 Quo nec erit, major nisi sit se Cæſare Cæſar;  
 Inde capace sui sat Majestate repletur.

Imbellis nunc Musa tace; dabit alter avitam,  
 Mantua si dederit, longo Maro sanguine gentem. **20**  
 Est clypeos, scutumque satis tibi, Musa, dedisse  
 Austriacæ stirpis. Quinæ sunt campus Alaudæ,  
 Atque patet rubeo mox candida fascia campo.  
 Alba tamen veteri succedit fascia Alaudæ.

I. Ergo age: Pes clypei finitur acumine; simplex **25**  
 Nobilitate placet; cœlesti tintæ colore  
 Area, cum binis ternas galeaque potentes  
 Jactat aves; clara quas Cæſar imagine ceras  
 Juſferat, optatis lecto sibi milite signis,  
 Inſcribi ſcutis, æternaque pignora Martis, **30**  
 Pannoniis, & alaudarum ſplendescere criftis.  
 Mox caſſis clathrata premit, galeamque coronat

Non

**30** Αἰτερνακεὶ πιγνοὶ Μαρτίς )  
 bene æterna, ut ait Pindar-

rus:  
 Σὺν Θεῷ γάρ τοι φυ-

Οὐλέος ἀνθρώποισι, παρ-  
 μονώτερος.

Quæ enim à Deo ſata eſt  
 Proſperitas hominibus, æter-  
 nior eſt.

Non clypeo diversus apex , fulvique metalli  
 Pandit Alauda suas redimito vertice pennas,  
 Augenturque novis illustria digmata parmæ  
 Austriadum belli signis , phalerisque teguntur.

35

II. Nunc quas Austriacis devicta vel addidit Accron,  
 Scissave per medium violentis fluctibus Istri  
 Patria, depromam scuti , clypeique retexam  
 Illustres formas; animos advertite , pandam. 40

Area simplicitate rubet , Sextique superbo  
 Magna Luitpoldi clarescunt signa cruento;  
 Baltheus in medio discindit partibus æquis  
 Albescens clypeum , non sic via laetis Olympum  
 Dividit , aut candet collectis ignibus æther,  
 Dispersisque polo medius supereminet astris.  
 Sunt alii, per me liceat , queis scuta figuris,  
 (Fluctibus in medio patrios scindentibus agros )  
 Insignita novis hinc descendisse putantur.

45

Utraque nixa suis firma est sententia causis,  
 Ast postrema tamen nostræ est conformior artis  
 Legibus. Austriacæ stellantia syrmata , formæ  
 Conscia cauda suæ , virtutis scuta coronant,  
 Immersusque novo surgit diademate Pavo.

50

CA-

37 Nunc quas Austriacis devicta  
 vel addidit Accron.) Ptolomais nimirum , quæ &  
 Accaron dicta civitas Palæ-  
 stinæ.

48 Fluctibus in medio patrios  
 scindentibus agros) de qua  
 Ausonius Epigr. IV.

Danubius penitis caput occul-  
 tatus in oris ,  
 Totus sub vestra jam ditio-  
 ne fluo.  
 Qua gelidum fontem mediis  
 effundo Suevis ;  
 Imperiis gravidas qua seco  
 Pannoniæ. Intellige  
 Superiorum.

# CAPUT III.

## RESOLUTIO SCUTI CÆSAREI.

## I.

**S**CUTUM Augustissimi Cæsaris CAROLI VI. Romanorum Imperatoris est in campo *aureo* Aquila *nigra* biceps, expansis *alis*, cui *caput*, & *pedes* sunt aurei; in pede dextro tenet *gladium*, & *sceptrum*; in pede sinistro *pomum imperiale* inserta cruce *aurea* à Benedicto VIII. ob præclara in Ecclesiam merita S. Henrico II. clando donatum. Hæc denuo in medio continet scutum quatuor angulorum, quod in cuspidem desinit. Vid. Tab. VII. Fig. I.

II. Hoc scutum in *quatuor* universim partes *secatur*; quarum prima in *sex* alios campos, in *quatuor* secunda; tertia vero & quarta dividuntur in *quinque*; cuiilibet incumbit *parmula*, diversumque ab aliis digma inscriptum cernitur.

III. Color pro ratione digmatum est alius & alius; nunc de singulis; & quidem de prima parte. In primo campo se objiciunt *quatuor fasciæ albae* in campo *rubro* propter *quatuor fluvios*, *Istrum* seu *Danubium*, *Savum*, *Dravum*, & *Tibicum*, propter regnum *Hungariae*. Vid. Fig. II. Num. I. In secundo in campo *rubro* super monte *viridi* Crux Patriarchalis *argentea*, subinde *coronæ* inserta, itidem propter regnum *Hungariae*, quam Pontifex *Sylvester II. S. Stephano Regi Anno 1002. misisse*

dici.

dicitur. Albertus Austriæ Dux, qui Elisabetham Sigismundi filiam duxerat, Hungariam obtinuit Anno 1439. Vid. Num. II. In tertio dabit Scutum Bohemia in campo *rubro* argenteum *Leonem* erectum cum *corona aurea*, & *cauda duplice*; aliquando cum poculo *aureo* in pede dextro, eoque Archi-pincerna crearetur Uladislaus, cui hanc figuram una cum dignitate regia contulit Fridericus I. Imperator in expeditione Mediolanensi Anno 1186., loco Aquilæ *nigræ* in campo *argenteo*, quod erat antiquum Bohemiæ scutum; eodem jure, quo Hungaria, ad Austrios pervenit. Vid. Num. III. In quarto Scutum *Dalmatiæ* ostentat in campo *caruleo* tria *Leopardorum* capita *coronata*, eaque aurea; quæ hujus figuræ ratio, non invenio. Vid. Num. IV. In quinto, Scutum *argenteis*, *rubrisque Tessellis* propter Regnum *Croatia*, vel ex eo nobilissimum, quia figura antiquissima. Vid. Num. V. In Sexto habet *Slavonia* in campo aureo brachium *rubris* vestitum cum framea *argentea*. Vid. Num. VI. Qua de causa *Croatia*, & *Slavonia* has in scuta gentilitia figuræ adsumpserint, reperire non licuit. In hac tria Regna nomine uxorio successit dictus Albertus.

Parmula media est Austriæ, de qua capite Superiori plenius.

IV. Campus secundus quatuor numerat areas, septimam, octavam, nonam, & decimam, adiecta in medio parma. In *septima* visitur in campo *rubro* castellum *aureum* propter regnum *Castellæ*. Sunt, qui velint, *Castellanos* à nomine Provinciæ

ciæ in scuto castellum adoptasse ; alii ab Alphonso Nobili , Anno 1158. ob tentorium Miramolini , quod sibi in spoliorum divisione obtigerat , castellum insertum adfirmant . Primus ex Augusta domo possederat Anno 1504 Philippus Austrius Ferdinandi Catholici gener , ex cuius Filia Joanna Carolum V. Hispaniarum Monarcham , & Imperatorem Romanum suscepit . Dein sub Augustissimo Cæsare Carolo VI. denuo restituta , qui Anno 1703. Viennæ Rex Hispaniarum renuntiatus est . Vid. Num. VII. In octava Regnum Legionis , in campo argenteo leo purpureus erectus . Hujus scuti figuram à Gothis superstitem esse testatur Olaus magnus . Nomen vero à Legione VII. Romanorum obtinuit . Accessit domui Austriae sub dicto Philippo . Vid. Num. VIII. In nona Regnum Aragoniæ in campo aureo quatuor palos rubros . Originem hujus figuræ rejiciunt ad Godofredum è Domo Regum Aragoniæ ; cuius sanguine , quo redux è prælio totus madebat , Imperator Carolus II. Calvus quatuor digitos tinxerat , in ejusque scuto candido totidem lineas duxerat Anno 876. Vide Brianillum de lusu Heraldico . Olim habuerat in scuto catenam in signum , Aragoniæ partem sitam esse in montibus Pyrenæis . Philippus adjecit Monarchiæ Austriae . Vid. Num. IX. In decima Regnum Siciliæ , quod decussatim scissum in area suprema & infima insigne Aragoniæ , ex utroque vero latere in campo argenteo Aquilam nigrum exhibebit . Hanc figuram Petrus III. , qui Constantiam Manfredi , Friderici II. filii naturalis , & Siciliæ regis filiam

filiam duxerat, regnumque jure hæreditario, jugulatis per universam Siciliam Gallis, Anno 1283. sibi vendicaverat, suo scuto inseruit, in signum, Constantiam Conjugem suam sanguine Cæsarum oriundam. Quamvis Austriacæ domui jure hæreditario obvenerit in Philippo nominato, Vid. Num. X.

*Parvula media* Scutum Habsburgorum exhibit, de quo Capite I. Part. III.

V. Regio tertia totidem numerat areas, undecimam nimirum, duodecimam, decimam tertiam & quartam. *Undecima* dat Scutum *Brabantia*, in campo *nigro* leonem *aureum*; Figuræ originem non deprehendimus. Primus jure hæreditario possedit Maximilianus I. à Maria Augusta, unica filia Caroli *Audacis* Burgundiæ Ducis Anno 1493. Vid. Num. XI. *Duodecima* Scutum *Suevia* in campo *aureo* tres Leones *nigros* sibi incumbentes. Antiquissima Domus Austriacæ provin- cia, quæ quidem varie lacerata à Rudolpho I. Anno 1283. in comitiis Augustæ Vindelicorum habitis, Leopoldo *Glorioso* filio restituta. Caro- lus V. demum & scuto inseruit, seque Sueviæ Ducem & scribi & nominari jussit. Vid. Num. XII. *Decima tertia Antwerpia* scutum, horizontaliter di- visum, in Cephalo *aureo* Aquilam *bicipitem nigrum*; in campo inferiori *rubro* tres turres *argenteas* muro conjunctas, quibus imminent duæ manus argen- teæ Vid. Num. XIII. & *Decima quarta Flandria* scutum, in campo *aureo* Leo *niger* dupli cauda; utraque adjecta sub Maximiliano I. jure uxorio. Vid. Num. XIV.

F 2

Par-

*Parmula media* Scutum *Burgundia* diagonaliter divisum, in campo *cæruleo* *Baltheos aureos tres*, in extremitatibus *oram rubram* eine rohte *Einfassung*. Accessit sub Augusto Maximiliano I. cum Brabantia eodem omnino jure.

VI. Regio *quarta* quatuor campis dividitur. *Decimus quintus* continet scutum *Neapolis* in campo *cæruleo* lilia *ſparsa*, superius *Ponticulum* quinque lemniscorum pendulorum mit einer *Brücke* / *Halß Band* / *Thurnier* / *Kragen*. Una cum Hispaniis facta hæreditaria Vid. Num. XV. *Decimus sextus* Scutum *Hierosolymæ*, in campo *argenteo* crux *patibulata aurea* cum quatuor aliis in angulis crucibus aureis apparet Vid. Num. XVI. & *Decimus septimus* Scutum *Navarræ*, quod regnum subinde Hispaniarum erat, in campo *rubro* catenæ *aureæ* cum nodis *aureis* per modum Crucis *vulgaris*, & *S. Andreæ* dispositæ, in quarum medio relucet Smaragdus; Vid. Num. XVII. Accesserunt cum Hispaniarum regnis. *Decimus octavus* Scutum *Carniolæ* in campo *argenteo* aquila *Cærulea*, corona, rostro, & cruribus *coccineis*, quæ pectorale *lunulam* exhibit crescentem ductu gemino tessellarum ex argento & minio variegatam. Hanc ditionem ipsi Proceres *Friderico Bellicoſo* Austriae Duci fama virtutis ejus moti tradidere. In cuius gratiam Fridericus II. Imperator, qui illam traditionem Confirmavit, ex Marchionatu Ducatum fecit. *Vide spenerum loco citando*. Vid. Num. XVIII.

*Parmula media* Scutum *Styriæ* in campo *viridi* Gryphus absque alis *argenteus*, scintillas ex auribus, naribus, & ore vibrans; *Hæpingus de Jur.* Ins.

Ins. C. 6. G. 5. m. 3. n. 644. *Taurum putat*, dicitque : *Tauris antiquis incolis Styriæ datur militæ signum Taurus*. Ottocaro cæso cum Austria Styriam filio Leopoldo Rudolphus Imp. Concessit. Vid. Philip. Jacob. Spenerum Hist. Insign. illust. L. I. C. 9. *Area decima nona Scutum Tyrolis einer Gesürsteten Graffschafft*, in campo *argenteo* Aquila *rubra*, cuius corona, rostrum, crura & semicirculi trifoliati alis impressi *auro* fulgent. Dicitur Margaretha mater Mainardi IV., ultimus hic erat Tyrolis comes ( quam plures Genealogi Rudolphi Austrio secundam conjugem adsignant , multis tamen contradicentibus ) consilio Ordinum Tyrolim suam ad consobrinos Rudolphum , Leopoldum , & Albertum Anno 1331. transtulisse. Vid. Num. XIX. *Area vigesima Scutum Mediolanense* in campo ad dexteram inclinato *argenteo* serpens *cæruleus* ternis gyris circumPLICATUS , & *auro* coronatus : erumpente ex faucibus infantulo coccineo ; una cum Regnis Hispaniæ ad Austrios transiit. Hæc de scuto. Vid. Fig. II. Tab. VII.

VIII. Scuto incubbit corona Imperialis nova ; adjiciuntur etiam duo Telamones , duo nimirum Gryphes Alati scutum sustentantes , quibus Leopoldus Magnus Augustus usus esse dicitur , ut videre est in sigillis 1658. Cingitur denique Augustum insigne catena aurei velleris , de qua , si ultra scribere licuerit , plura dabimus alias.

**F**Ulmineos supereft , fessique Pyracmonis ignes ,  
Scribere , & altisoni custodes fulminis ungues ,  
Irarumque graves ; supereft Pater ipse Deorum

F 3

Jupi-

Jupiter; Ast metuo, ne, quas Cyllenius ales  
 Tollere furtivo flamas tentaverat ausu,  
 Ignibus incautum dejecta favilla Tonantis  
 Corripiat plectrum, nostram quoque fulmine Musam,  
 Et non digna suis fistat mea carmina flaminis.  
 Non tamen astra, puto, designatura ferentis  
 Munera; sunt etiam exiguis sua pondera verbis. 10  
 Supplicium non, spero, feret sine crimine partus,  
 Nonque Lycaonio meritas dabit omne pœnas.

Cæsaris hic promam ceras, clypeosque tremendos,  
 Magnanimos pandam vultus, figamque superbis  
 Arma verenda tholis, dicamque à digmate celso 15  
 Scuta virum, & galcas certa sub lege notabo.

I. Campis incumbit bifrons Jovis armiger aureis,

Expan-

17 *Campis incumbit biceps Jovi armiger aureis.*) Quo primum tempore inventa fuerit Aquila biceps, non est planum statuere, cum neque in Imperatorum numeris, neque in cæteris antiquitatis monumentis uspiam occurrat, præterquam in columna Trajani Romæ, uti diximus superius fol. 20. Vid. Tab. I. Fig. IV. Quidam Germanos bicipitem Aquilam sue gentis insigne fecisse scribunt post cladem Varianam, cum duplice Romanorum Aquila Germani victores potiti sunt. Favet huic sen-

tentiæ Ulricus Huttenuus in carm. de German. Vindice ut Arminio, celeris prope rura Visurgis, Romanas acies miro Germania metu. Quintiliusque Ducem concideris, unde birostre Contigerint Aquila, traducti insignia Regni, Exclusumque jugum non tantum hac tempora noſſent. Sed longe secus de Aquila bicipiti sentiunt alii, qui recuperatas postea à Romanis adjiciunt Aquilas geminas amissas in clade Variana. Negat Georgius Trifinus L. II. Italiz Liberat. duas

Expanditque alas ; ferrum & sacra Cæsaris armant  
 Sceptra pedem dextrum : decorat pomumque sinistrum  
 Imperiale pedem ; summo crux aurea surgit      20  
 Vertice , Christiadum referens insignia gentis.

II. Quadratum medio cernes mox pectore scutum  
 In quatuor sectum campos ; hos ordine pandam.

III. Regnorum primus dat bistra dignata campus.  
 Hunnorum rubeo candescens Fascia genti      25  
 Est clypeo repetita quater , dedit illa Tibiseus ,  
 Danubius dedit , & cum Dravo nomina Savus.

Altera mox rubeo viridem dat sectio montem ,  
 Argentique crucem campo ; immersamque coronæ  
 Hunniadum gentis decus , immensumque probatæ    30  
 Religionis opus , fidei quæ testis avitæ.

Candidus in rubeo Leo mox , Bojoemia , campo est ,

Vir-

duas suisse Aquilas , sed 8  
 unam in duo capita divi-  
 sam ; eam porro divisionem  
 pertinuisse ad explicandos  
 duos Principes , five Cæ-  
 sares , quorum alter in Oc-  
 cidente , alter in Oriente  
 Imperii sedem haberet . Ipsi  
 etiam Græci Imperatores  
 retinuerunt Aquilas biro-  
 stras , usque ad Turcarum  
 Imperium , quod Arioſtus  
 c. 45. indicat , ubi refert  
 insignia Leonis , Constanti-  
 ni Cæsaris filii :  
 Et per parem Leon , le sopra  
 veste ,

8 Cœ di anzi ebbe Leon , s'ha  
 messé in doſſo ;  
 E l'aquila de l'or con le tue teste  
 Porta dipinta ne lo ſcuo roſſo .  
 18 Expanditque alas . ) Vid.  
 Tab. VII. Fig. I.  
 22 Quadratum medio cernes . )  
 Vide eand. Figuram.  
 25 Hunnorum rubeo candescens  
 fascia genti . ) Vid. Fig. II.  
 Num. I. Inſigne Hungarie.  
 28 Altera mox rubeo viridem  
 dat ſectio montem . ) Vid.  
 Num. II. Itidem propter  
 Regnum Hungarie ,  
 32 Candidus in rubeo . ) Inſigne  
 Bohemie . Vid. Num. III.

Virtutis quæ signa tuæ ; diademate cinctus,  
Divisa erectus cauda , cratera propinans  
In pede Cæsarei dextro pincerna Tonantis.

35

Mox Leopardorum cælat tres Dalmata vultus  
Cæruleo clypeo , atque aureo diademate claros.

In tessellato candorque , ruborque Croatae  
Alternat clypeo , priscaque insignia jactat.

Brachia mox vestita rubris , armataque ferro  
Insignis virtute Slavus collustrat in auro.

40

Hæc inter medium dabit Austria nobile scutum ,  
Nativo reliquas illustrans lumine parmas ;  
Non sic corda suis animarunt corpora succis ,  
Emisloque fluunt turgentes fanguine venæ.

45

IV. Illustres quatuor numerat pars altera campos.  
Ante alias auream clypeo Castella rubenti  
Cernitur ostentans arcem. Mox candida reddet  
Parma jubas , Legio , regali murice tintas.

Area mox rubros quatuor feret aurea palos ,  
Campus Aragonius , reducis quem sanguine Regis  
Insignem referunt , quem Carolus ordine tintis  
Induxit campo digitis , & scuta notavit.

Quar-

36 Mox Leopardorum.) Insigne 8 Dalmatiæ. Vid. Num. IV. || est Austriae scutum , de quo capite præcedenti.

38 In Tessellato candorque , ) In- signe Croatiæ. Vid. Num. V. || 47 Ante alias auream.) Insigne Castellæ. Vid. Num. VII.

40 Brachia mox vestita rubris.) Insigne Slavoniæ. Vid. Num. VI. || 48 Mox candida reddet Parma jubas.) Insigne Regni Le- gionis. Vid. Num. VIII.

42 Hæc inter medium.) Par- mula media primæ regionis || 50 Area mox rubro. ) Insigne Aragoniæ. Vid. Num. IX.

Quarta decussatos sicuti dabit area Regni ;  
 Pars & Aragonii est campi , pars altera nigras  
 In campo signat binas Jovis alba ministras.  
 Habsburgi rubrum dat parmula fixa Leonem.

55

V. Tertia , quot quarta campi regione locantur ,  
 Dat bis scissa duos ; Gentis sunt flava leonis  
 Signa Brabantinæ nigranti digmata campo. 60

Tres alias incubentes sibi scuta leones  
 Auratis nigros ostendunt Suevica parmis.

In medio campos , Antwerpia , scindit horizon ,  
 Auratoque biceps Cephalo stat celsa Tonantis  
 Nigra ministra Jovis ; ternæ mox vertice surgunt 65  
 Inferiore rubro turres , quas Mœnia jungunt ,  
 Candentes , & bina paris stat dextra coloris.

Ereto rutilat divisæ syrmate caudæ  
 In clypeoque niger surgit Leo , Flandria , flavo.

Auratos monstrant Burgundica digmata ternos 70  
 Cæruleis Baltheos clypeis , atque alta superbo  
 Pendent scuta tholo , & medio stant pectore fixa.

VI. Illustres quatuor regio dabit ultima campos.

Cærue-

54 Quarta decussatos . ) Insigne Siciliæ. Vid. Num. X.

57 Habsburgi rubrum . ) Parmula media regionis secundæ continet scutum Habsburgicum , de quo Part. III. C. I.

59 Gentis sunt flava Leonis. ) Insigne Brabantinæ. Vid. Num. XI.

61 Tres alias incubentes.) Insigne Sueviæ. Vid. Num. XII.

63 In medio campos. ) Insigne Antwerpia. V. Num. XIII.

68 Ereto rutilat divisæ syrmate caudæ.) Insigne Flandriæ. Vid. Num. XIV.

70 Auratos monstrant. ) Parmula media continet Insigne Burgundia.

F 5

Cæruleo mox sparsa suo dat Lilia Virgo  
 Parthenopea tholo , & Lemnisci Ponte vetusto 75  
 Quinque fluunt. Solymæa crucem comitantibus albo  
 Urbs cruculis campo , & Christi sacra pignora jactat.  
 Aurea mox parvae , Navarra , catena rubenti  
 Inseritur , nodis distincta , crucisque decussim  
 Sectæ signa ferens , medio lucente smaragdo. 80  
 Cærulus altisoni scutum tegit ales olympi  
 Carniolæ niveus , qui pectori cornua lunæ  
 Aucta refert , gemino tessellis ordine priscis  
 Argento minioque litæ. Dant corda virenti  
 In campo albentem , stantemque insignia Gryphum ; 85  
 ( Pantheram dicunt alii , Taurumve bicornem )

Auri-

- 74 Cæruleo mox sparsa suo dat  
 Lilia Virgo.) Scutum Nea-  
 polis. Vid. Num. XV.
- 75 Parthenopea tholo.) Parthe-  
 nope una fuerat syrenum ,  
 quæ præ dolore , quod præ-  
 tereuntem Ulyssem cum  
 sociis in scopulos cantu pel-  
 licero non potuisset , in ma-  
 re se præcipitavit , & ad  
 locum , ubi dein Neapolis  
 condita , delata est ; unde  
 etiam dicta Parthenope , &  
 duas Syrenes habet Telamones Scuto suo adjacentes.
- 76 Solymæa crucem.) Insigne  
 Hierosolymæ. Vid. Num.  
 XVI.
- 78 Aurea mox parvae.) Insi-  
 gne Navarræ. Vid. Num.  
 XVII. miror Joannem Da-  
 videm Kœlerum causam

scuti hujus ignorasse , ut  
 videre est in dem Wappens  
 Calender Christoph Weigels.

- 81 Cærulus altisoni.) Scutum  
 Carniolæ. V. Num. XVIII.
- 84 Dant corda virenti in cam-  
 po albentem.) Parmula me-  
 dia continet scutum Syriæ.
- 86 Pantheram dicunt alii.) Fe-  
 lix Malleolus Pantheram  
 adpellat. De Taurō con-  
 sentit , & ob hoc etiam in  
 figura æri cornua bestiae  
 exprimit. Ut videre est  
 apud Fuggerum L. 2. c. 3.  
 fol. 180. adjecto hoc epi-  
 grammate :

Stiria Alexandri Pantheram  
 emblema Monarchæ  
 Fert clypeo : Stiræ scepta  
 Monarcha tenet.

Arme

Auribus hic spirat flamas, & naribus efflat,  
Et ferus ore vomit ; grande est decus ille Styrorum,  
Mavortisque domus, quæ non nisi conscientia novit  
Pectora virtutis ; populusque in prælia natus 90  
Altior adsurgit. Res mira ! quod Austrius , ajunt  
Jupiter armisonis cudat sua fulmina bellis.

VII. In pede mox candens Aquilam fert area rubram,  
Tyrolis clypeo. Serpit mox cœrula campo  
Albenti Mediolani Boa Lombardorum, 95  
Quæ terno sit flexa gyro, & diademate pressa,  
Coccineusque suis erumpit faucibus insans.

VIII. Incumbitque recens clypeo diadema birostro  
Imperii ; alati sustentant digmata Gryphes ;  
Et parta Ægidæ circum dant vellera campum. 100

EPI.

- Arma parit , ferri Mater , si- 8 99 Alati sustentant digmata Gry-  
bi cornua Tauri phes.) Gryphes Herodotus  
Hostibus iratis illa sit ira in Melpomene vocat Au-  
fuis. ristodes. Philostratus ve-  
Nam Stiria per anagramma sit ro L. VII. c. 1. de Vita  
ira. Apollonii sic scribit: Indo-  
93 In pede mox candens .) Pes rum Gryphes , & Æthio-  
scuti duas habet areolas , pum Formica , licet sint  
Gallis pointe à pointe , di- forma dissimiles , eadens ta-  
ctas. Prima continet scu- men ( ut ferunt ) agere  
tum Tyrolis. Vid. Num. student. Nam aurum uirobi  
XIX. que custodire perhibentur ,  
94 Serpit mox Cœrula campo.) & terram auriferacem ada-  
Scutum Mediolani. Vid. more. Nec mirum proin-  
Num. XX. de , Leopoldum Magnum  
98 Incumbitque recens clypeo,) Gryphes aurei scuti custodes  
Vid. Fig. I. Tab. VII. adhibuisse.



~~~~~

## EPILOGUS.

**H**Æc tibi priscorum dedimus monumenta virorum,  
 Et clypeos, pictasque antiquo sanguine ceras,  
 Fulmine cristatum galeæ decus, armaque in auro  
 Pristina, nobilibus factorum animata figuris,  
 Ut licuit dedimus. Clario fors Numine dignos      5  
 Exspectas partus? ast Musa novitia vagit,  
 Estque Camœna rudit. Satis est: Nam teste Manilio,  
 Ornari res ipsa vetat, contenta doceri.  
 Fors meliora dabit, doctis ubi corpora succis,  
 Ebria Pieris & Musa adoleverit undis.      10  
 Non Phaëtonteos me sollicitasse labores,  
 Nonque dedisse fatos prægnanti sanguine partus,  
 Bellerophontis equi; nec in irrita vota volantem  
 Defluxisse pedem, aut docti sacra flumina fontis  
 Me gustasse putes; suffecerat unica nostræ      15  
 Gutta siti; nostros non deditur Apollo  
 Vultus; sæpe Diis placuit placuisse voluntas.

F I N I S.





## ERRATA CORRIGES.

apud hoc lege apud hos, pag. 3. colum. 2.  
lin. 8.

altra lege altera, pag. 7. vers. 129.  
Bulfent lege Pulfent, pag. 12. colum. 2.  
lin. 14.

qua lege quæ, pag. 14. colum. 2.  
lin. 5.

fructibus lege fluetibus, pag. 17. v. 314.  
prima lege primæ, pag. 42. v. 38.  
antiquas lege antiquos, pag. 57. v. 9.  
dignitate lege dignitatis, pag. 62. lin. 30.














II



IV




V




III




VI















Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-651391-p0123-5


DFG

















*Tab. IV.*


















BRUNNEN  
COPPIA  
GARIBOLDI  
MUSICA




RUDOLPHIO VICTORIOSO  
COMITIN HABSBURG. SPQ.  
ARG. PRAEFACTO. STRENUO  
STATUAM HANC EQUESTR.  
PP. MCCCLXVI.





















Ma 3916.

30


vd 18

**ULB Halle**  
006 303 838

3



n.i.c.





R. P. CAROLI PVRCKHARDI S. J.

# ARS SCVTARIA

*vulgo*

# HERALDICA.

prius quidem  
ALIUM IN FINEM  
typis expressa,  
nunc vero  
*IN VSVS JVVENTVTIS*  
melioribus doctrinarum studiis  
imbuendae  
recusa.



*Cum Permissu Superiorum.*

---

NORIMBERGAE  
*Sumptibus suis imprimi curavit*  
**JOHANNES ADAMVS SCHMIDIVS**  
**M DCC XXXIII.**